

BIBL. UNIV. GAND
EX LIBRIS
PROF. ORD.
J. ROULEZ




UNIVERSITEITSBIBLI
90000009



J. Roalez

HISTORIA
REIPUBLICAE MASSILIENSIUM.

SCRIPSIT

AUGUSTUS BRÜCKNER

SAXO - GOTHANUS.

COMMENTATIO IN CERTAMINE CIVIUM GOTTINGENSIUM LITERARIO EX SENTENTIA AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS DIE IV. MENS. JUN. MDCCCXXVI REGIO PRAEMIO ORNATA.

Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει.

GOTTINGAE

APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.

Quod huc apponi imperatum est amplissimi ordinis judicium, ita habet:

„Commentatio prima parte historiam Massiliensium ab origine inde persequitur; altera proventus, reipublicae formam, leges, et reliqua, quae in quaestione proposita erant, ea diligentia et delectu, ut nihil aut omissum, aut redundans offendas et ex omni parte quaestioni satisfecisse videatur. Quaedam egregie disputata, ut de Pythea. Oratio Latina, paucissimis exceptis, tersa et bona. Mole quoque libellus justos limites non excedit.“

FRIDERICO JACOBSIO

VIRO CELEBERRIMO AC PRAESTANTISSIMO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS OMNI,
QUA PAR EST, OBSERVANTIA
CONSECRAVIT

AUCTOR.

HISTORIA
REIPUBLICAE MASSILIENSIUM.

PROOEMIUM.

Si jam propositum mihi esset, ut a laudatione Massiliensium, commentationis hujus exordium repeterem, res maxime ab iis praeclare gestas, tum morum et institutorum praestantiam, denique commerciorum amplitudinem praedicanda inprimis ac celebranda esse putarem. Quae quamquam aliarum, quae a Graecis originem habuere, coloniarum non ita sunt assecuta gravitatem, ut vim quoque, qua insignes illae fuerunt, ad ipsius Graeciae culturam, adjunctam haberent, est tamen in illis, unde non tantum ii, qui nonnisi meram exinde petunt rerum scientiam, verum etiam, qui ad universae antiquitatis indolem ingeniumque accuratius cognoscendum aliquid profici ejusmodi rebus judicant, peculiari quidem studio dignissimam Massiliensium esse historiam existiment. Accedit hoc jucunditatis, quod quam

late patuerint Graecorum instituta ac mores, quamque in terris vel remotissimis ea usque sibi constiterint, Massiliensium rebus egregie docemur.

Hanc quidem in Massiliensium historia positam vel gravitatem vel jucunditatem adeo sensisse videntur, qui in antiquitate pervestiganda elaboraverunt, ut si scriptorum numerus pro modulo posset haberi, quo aut levius aut accuratius res aliqua excussa esset, prope inanis censenda foret eorum opera, qui Massiliensium historiam, tot virorum doctorum studiis tractatam, denuo illustrare susciperent. De qua si quaesieris, quae exposita sint, tum singulares 1) libri occurrunt, quorum sola ista efficiat argumentum, tum ampliores inprimis 2) de Gallia Narbonensi libri, a Francogallis quidem perscripti, in quibus de Massilia multa copiose disputata habemus. Quarum scriptionum auctoribus etiamsi hoc debeatur, ut conquisiverint, quae de rebus Massiliensium passim in libris veterum reperiuntur, ea tamen saepenumero nec critice satis excusserunt, nec ita in unum conjunxerunt, ut veteris Massiliae si non perfecta (hanc enim in tanta

---

1) Guesnay Annales provinciae Massiliensis etc. Lugduni 1657. fol. De Ruffi histoire de Marseille. edit. II. Marseille 1696. 2 Vol. fol. Hendreich Massilia in Gronov. thes. Gr. ant. Tom. VI. Khunii dissert. ac. de Massilia studiorum magistra. Johansen veteris Massiliae res etc. Kiliae 1817. Grosson recueil des antiquités et monumens Marseillois. Marseille 1773. Guys Marseille ancienne et moderne. Paris 1786.

2) H. Bouche, la chorographie et l'histoire de Provence. Aix 1664. Tom. I. Papon, histoire de Provence. Paris 1777. Tom. I.

eorum, quae de his rebus ad nos perlata sunt, paucitate nemo facile assequatur), at vera tamen, ut fieri posset, ejus imago adumbraretur. Haec autem non tam in paucis iis quaerenda est, quae de fatis Massiliensium ad nostra tempora perduraverunt, quam in institutis eorum, commercio et quae alia tanquam fixa in eorum statu spectari possunt. In his vero explanandis eo potissimum intendi debet, ut Graeca esse, quae Massiliae fuerunt, instituta reputemus indeque ipsam tractandorum eorum rationem adornemus. Hoc tamen non satis observarunt, inprimis e Francogallis qui Massiliam illustraverunt, quibus quod alias quoque subinde exprobrari solet, genuinam antiquitatis indolem parum perspectam eos habere, etiam ad Massiliensium tractatam ab iis historiam traduci potest. Accedit, quod haud raro, patriae amore decepti, res a popularibus suis, quos ipsi vocant, olim aut gestas aut institutas laudibus extollere, quam religiose ponderare maluerunt.

Ex iis, quae adhuc disputavi, ratio simul atque consilium apparet, qua in hac commentatione scribenda operam meam collocandam esse putaverim. In quam recipiantur quidem, quantum fieri potest, quaecunque tandem ad Massiliam illustrandam investigare potuerim, eo tamen temperamento, ut levius tractentur, quae jam ab aliis excussa sunt, pleraque autem, in quibus manifesto erratum est a prioribus, plane non percenseantur. Quae quum singula refutare vellem, et fastidium eo lectoribus moverem, et justum, quo circumscribatur haec commentatio necesse est, spatium longe excederem. Et quum non essent nisi fragmenta quaedam, unde Massiliensium peteretur historia, omittenda quidem duxi, quibus lacunae temere resarci-

rentur, sed quae suppetebant, ita in unum consociare tentavi, ut tum singula, quemadmodum sibi responderent, et alterum ex altero sequeretur, appareret, tum Graecorum ratio atque indoles etiam in hac eorum colonia perspiceretur.

Fontes, e quibus rerum Massiliensium hauritur cognitio, non sunt nisi tum singuli librorum veterum loci, quibus earum mentio forte injecta est, tum monumentorum [1]) veluti numorum et inscriptionum auctoritates. Singulares libri, qui plene eas complexi fuerint, quales de aliis multis Graecorum oppidis atque coloniis extabant, aut nunquam perscripti sunt, aut injuria temporum ne titulis quidem relictis interierunt. Aristotelem in politiarum Graecarum descriptione constat de Massiliensium republica exposuisse, sed praeter fragmentum [2]) quoddam exile, quo Massiliae memoratur origo, nihil ex eo ad aetatem nostram perlatum est. Nisi forte ejus vestigia quaedam deprehendantur apud Strabonem [3]) in iis, quae de reipublicae Massiliensis forma tradidit. Videtur omnino Massiliensium respublica caeteris Graecis paullo e conspectu abiisse, ita ut iis praeter commercia nullus paene nexus cum illis intercederet. Certe alioquin explicari vix posset, quî factum esset, ut per tam lon-

---

1) De his quidem praeter Eckhelium caeterosque, qui huc faciunt, rei numariae enarratores, suo loco indicandos, maxime vid. Grosson. Mon. Mars.

2) Harpocr. v. Μασσαλία. Phot. lex. ead. voc. Athen. XIII, p. 576.

3) Strab. IV, p. 180. v. Heerenium V. Cl. de fontibus geographicorum Strabonis p. 114. (Commentt. soc. Gott. rec. Tom. V.)

gum tempus de Europa occidentali Graeci nonnisi paucissima cognita haberent. Massilienses profecto et plura et veriora docere eos poterant. De fontibus historiae Massiliensis explicatius hoc loco agere nolui, quum in singulis commentationis partibus disputandi de iis copia sit futura.

Singulis Massiliensium historiae periodis quum haud apte viderentur adjungi posse, quae de moribus eorum, reipublicae forma aliisque rebus, quas communi antiquitatum nomine complecti visum est, ad notitiam nostram pervenerunt, commentationem in duas partes secernendam putavi, quarum in priori, ea tamen contractiori, Massiliae origines ejusque fata exponerem, in posteriori antiquitates, quas dixi, Massiliae enarrarem.

SECTIO I.

HISTORIAE MASSILIENSIUM RELIQUIAE.

CAPUT I.

ORIGINES MASSILIAE.

1) *Phocaeensium navigationes.*

Quum Graecorum in Asia minore coloniae commercia et navigationes exercere inciperent, praeter Milesios Phocaeenses potissimum in hoc genere eminuerunt. Qui quum Herodoto quidem [1]) teste primi Graecorum longis navibus (ναυτιλίῃσι μακρῇσι) uterentur, mare Adriaticum, Tyrrheniam, Iberiam ac Tartessum [2]) itineribus suis petiisse dicuntur. Ac in Tartesso quidem plura sunt, quae de amicitia tradantur, ab iis cum Argantho-

1) Herodot. 1, 163.

2) Ante Ol. XXXI. vix assecuti Tartessum videntur, quum ab Herodoto IV, 152 Colaeus Samius primus Graecorum eo venisse dicatur, ille tamen non ante Ol. XXXI. ponendus. Vid. Mülleri V. Cl., Prolegg. z. Mythol. p. 419. De Tartesso, ut alios omnes omittam, vid. Tzschuck. ad Mel. II, 6, 9. nott. ex. p. 551.

nio [1]) rege juncta; qui tanta Phocaeenses benivolentia excepisse fertur, ut sedes iis in suo imperio, quas ipsi maxime concupivissent, offerret. Renuentibus tamen Phocaeensibus, Arganthonius, quum accepisset ab iis, Medorum copias ingravescere vehementius et imminere civibus eorum, tantam vim pecuniae iis est largitus, ut moenibus satis amplis oppidum inde suum circumdare possent. Quod [2]) etsi vix credat aliquis, nuntio de Persarum imperio ad Arganthonium perlato, pecuniam eum subministrasse, qua murum Phocaeenses sibi exstruerent, hoc ipso tamen eorum commercia per occidentem et amplissima et fructuosissima fuisse apparet.

---

1) Ukerto V. Cl. (Geogr. d. Griechen u. Römer I, 1. p. 40.) circa a. 630 a. Chr. Phocaeenses ad Arganthonium venisse videntur. Hoc tamen valde dubium est, quum non habeamus, quo ad certum quoddam tempus ducamur nisi tum Colaei, quam antea indicavi, aetatem, tum quod per centum viginti annos vixisse, per octoginta regnasse, et mortuus fuisse Arganthonius ab Herodoto dicatur, quum Alaliam Phocaeenses exstruerent. (Illo enim τηνικαῦτα ap. Herodot. I, 165. quod alioquin plane non adjectum fuisset, ad ipsam Alaliae originem respici, dubitari non potest.) — De Arganthonio vid. Scymn. Ch. 205. 206. Cic. sen. 19. Strab. 1, p. 57 Casaub. Appian. Iber. c. 2. Syncell. Chron. p. 181. Eustath. ad Dionys. ap. Hudson. Tom. IV. p. 94. Larcher ad Herodot. Tom. I. p. 461.

2) Quo ne fides Herodoti infringeretur, Wesselingius et qui eum secutus est Larcherus τὸν Μῆδον (1, 163.) mutandum esse censuerunt in τὸν Λύδον, quippe quod et tempori et rerum naturae magis congrueret. Qua tamen emendatione, aliena praesertim a codicum auctoritate, nec opus est, nec fides ea Herodoti juvatur.

Phocaeenses autem quum ita longas navigationes easque mercandi caussa susciperent, locis opus habebant, quibus tum virium a laboribus reficiendarum, tum mercium deponendarum opportunitas esset. Unde eorum coloniae exortae. Ex his vero maxime insignis fuisse videtur Alalia [1]), in Corsica insula, viginti annis ante Phocaeam in Asia derelictam exstructa [2]), ita ut, quod infra explicabitur, Phocaeenses quum Persarum imperium fugientes novas sedes peterent, huc primum sese reciperent. Praeter eam iam ante eversam Phocaeensium urbem, alias quoque ab iis conditas fuisse illis in oris colonias, verisimile est, quod plura in Hispaniae Galliaeque littoribus oppida, quae Massiliensium ferebantur, passim etiam Phocaeensibus assignantur. De quibus, si ad coloniarum Massiliensium explicationem devenerit oratio, uberius explicabitur.

2) *De tempore, quo Massilia condita fuerit.*

Phocaeenses, de quibus quae ad hunc locum quadrarent, satis me jam dixisse puto, Massiliae quoque conditores fuisse, scriptorum veterum testimoniis certo exploratum est. Nam

---

1) Coloniarum Phocaeensium nomina congessit Rambach de Mileto p. 23. De pluribus nihil nisi nomina novimus v. c. Abarnus, Hellenium, Ocelum. v. Steph. B. his voc.

2) Herod. I, 165. Ovid. Am. I, 12. Calaris, quam vocat Diodorus V. p. 205 Wess. in quo quidem loco Cluverius 'Αλαρίαν scribendum esse censuit (Cluver. Sicil. ant. p. 506. 507.), eadem atque Alalia colonia fuisse videtur. cf. Raoul-Rochette, hist. de l'établ. des col. Grecq. Tom. III. p. 414.

quod apud nonnullos occurrit, Phocenses, non Phocaeenses Massiliam condidisse, ab aliis [1]) dudum explosum est, quippe qui e facili nominis utriusque commutatione errorem istum fluxisse recte existimarent.

Longe graviora sunt, quae tum de tempore, quo condita sit Massilia, tum de ratione, qua originem ceperit, explicari debeant. De quibus etsi quae in libris veterum reperiuntur, conjuncta plerumque traduntur, ita ut, ubi de tempore sermo sit, simul conditae urbis historiae mentio fiat, placuit tamen, quo in clariore luce haec omnia ponerentur, in ipsa disquisitione ea segregare, ac primum rationes chronologicas expedire, tum quae ad ipsam originis Massiliae historiam pertinerent, subjungere.

Si plurimorum scriptorum [2]) spectatur auctoritas, Phocaeenses Massiliam condiderunt, quum, urbe sua Persis tum Joniam oppugnantibus relicta, occidentem peterent, novas ibi sedes quae-

1) Hendreich Mass. p. 2947. (thes. Gron.) Scaliger animadv. ad Euseb. Chron. p. 81. Alios tum veterum tum recentiorum scriptorum locos v. ap. Tzschuck. ad Mel. II, 5, 3.

2) Thucyd. I, 13. Isocrat. Archidam. p. 316. edit. H. Wolf. Harpocrat. v. Μασσαλία. Paus. X, 8, 4. Hygin. ap. Gell. X, 16. Ammian. Marc. XV, 9 etc. Horum quidem testimonia si sola superessent, ante Ol. LX. nemo conditam esse Massiliam putaret. Quamquam error iis, certe antiquioribus velut Thucydidi et Isocrati, propterea exprobrari vix potest, quippe qui in locis iis, ubi Massiliae injecerunt mentionem, alienum fortasse censerent, et ad priorem aliquam Phocaeensium coloniam respicere.

situri. Haec ratio si vera esset, Olympiadi [1]) fere sexagesimae origo Massiliae assignanda videretur. Alia tamen veterum scriptorum testimonia eaque et antiquissima et gravissima, jam ante hoc tempus eam urbem conditam fuisse docent. Quorum primus commemorari debet Antiochus [2]), qui quum Phocaeenses dicat post captam eorum urbem in Corsicam ac Massiliam navigasse, repulsos autem Eleam condidisse, innuit eo, jam ante Phocaeensium ex Asia minore migrationem, illam extitisse. Antiochum excipit Aristoteles [3]), qui et ipse ante expugnatam a Persis Phocaeam Massiliam exstructam esse judicavit. Tempus,

---

1) Siquidem quinque putantur anni (Herod. I, 166.) inter Phocaeensium ex Asia abitum (540 a. Chr.) eorumque e Corsica insula decessum elapsi esse.

2) Ap. Strab. VI. p. 252., quem tamen locum viri docti non satis recte intellexisse videntur. Quum enim habeat: „φησὶ δ' Ἀντίοχος Φωκαίας ἁλούσης, ὑφ' Ἁρπάγου τοῦ Κύρου στρατηγοῦ, τοὺς δυναμένους ἐμβάντας εἰς τὰ σκάφη πανοικίους, πλεῦσαι πρῶτον εἰς Κύρνον καὶ Μασσαλίαν μετὰ Κρεοντιάδου, ἀποκρουσθέντας δὲ τὴν Ἐλέην κτίσαι," ἀποκρουσθέντας ita sunt interpretati, tanquam repudiati a Massiliensibus fuerint Phocaeenses, quo sane veterum praesertim in hoc genere religione, nihil illi magis nefarium perpetrare poterant. Sed discimus potius ex Antiocho, repulsos Phocaeenses a Corsica, proelio cum Carthaginiensibus atque Tyrrhenis commisso, Veliam condidisse. In quo illud sane καὶ Μασσαλίαν aliquam offensionem habet, ideoque, quod et ipsi Casaubono, quamquam alia de caussa, in mentem venit, e textu fortasse eliminandum est. Quo tamen efficeretur, ut totus hic locus jam nihil amplius ad rem nostram faceret.

3) Ap. Harpocr. Μασσαλία. cf. Athen. XIII. p. 576.

quo factum hoc sit, accuratius docemur a Timaeo [1]), quem Scymnus tradidit viginti et centum annis ante pugnam Salaminiam id constituisse. Confirmatur haec ratio eo, quod etiam Solinus [2]). Ol. XLV. Massiliam originem cepisse indicavit, quamquam factum id esse, quum Persarum, quod imminebat iis, jugum evitarent, perperam ab eo adjectum est.

Quum neque eorum scriptorum, qui priori, nec qui posteriori aetati Massiliae originem assignaverunt, auctoritas possit infringi, verissime haud dubie statuemus, si duabus potissimum coloniis Massiliam tum conditam tum auctam esse ponamus. Idem jam alii [3]) et recte quidem censuerunt, quocirca quae disputavi, quamquam augere pluribus poteram, jam sufficiant.

3) *Originis Massiliae historia.*

De origine Massiliae varia sunt, quae tradantur, ea tamen ita comparata, ut si ante Phocaeam a Persis expugnatam conditam eam esse statuamus, nihil in iis reperiatur, quod magnam offensionem habeat. Quid acciderit Phocaeensibus, quum ex Asia decederent, quaeque secuta eorum abitum fuerint, haec

1) Ap. Scymn. Ch. 210—214.

2) Quem quidem non opus est, ut annum primum olympiadis quadragesimae quintae intellexisse statuamus (quod Larchero visum est Tom. I. p. 465.), imo Eusebii ratio (Chron. p. 124.), qua Ol. XLV, 3. accipi debet, optime potest cum illa Solini consociari.

3) Scaliger ad Euseb. Chron. p. 81. Larcher ad Herod. Tom. I. p. 466. 467. Quae Raoul-Rochette T. III. p. 206. de quattuor coloniis disputavit, ea non opus est, ut refellantur.

omnia accurate ab Herodoto explicantur, sed ita, ut neque hoc in loco, nec in alio quodam [1]) de Massilia verbum moneatur. Eum autem de urbe, sua aetate, uti videtur, jam florentissima nihil inaudivisse, cogitari non potest, nec quo silentii hujus caussam explicuerunt nonnulli, lacuna locus, ubi debebat Massilia commemorari, detruncatus esse videtur. Credibile est, ex eadem eum caussa Massiliam silentio transmisisse, qua neglectam ab eo uberiorem, quam haud dubie exhibere poterat, Carthaginis descriptionem videmus. Nimirum admodum sunt tenuia, quae de occidente accepimus ab Herodoto, fortasse hanc ipsam ob caussam, quod ad historiarum suarum consilium minus ea facere putabat [2]).

Quid egerint Phocaeenses, ut Persarum potestatem effugerent, quaeque post abitum ex Asia fata sint experti, quam paucissimis ego referam, iis tantum adductis, quae ad ipsam Massiliae originem inprimis pertineant, de caeteris satius est, historicum Graecum inspicere. Phocaeenses quum ex urbe sua discederent, omnes quidem naves conscendisse, sed dimidia tantum parte occidentem petiisse dicuntur. Quamvis enim magnis exsecrationibus [3]) detestati eos fuerant, qui de reditu in urbem reli-

---

1) Est quidem libr. V. cap. 9. ubi haec legantur: *Σιγύννας δ' ὦν καλέουσι Λίγυες οἱ ἄνω ὑπὲρ Μασσαλίης οἰκέοντες τοὺς καπήλους;* sed e glossa ea fluxisse Valckenarius et Wesselingius, quibus adstipulatus est Larcherus, recte judicaverunt. Neque repugnabit iis, qui quam aliena sint a loco, in quem intrusa ea videmus, reputaverit.

2) Cf. Niebuhr. V. Cl. über d. Geographie Herodots in d. Abh. d. Berl. Acad. 1812 u. 1813. p. 215.

3) Ἀραὶ Φωκαέων Herod. I, 165. Larcher. Tom. I. p. 464. Calli-

ctam cogitarent, tamen quum in Oenussis insulis (Herod. I, 165.) sedes frustra quaesivissent, et in Corsicam vela tenderent, altera pars eorum in Asiam rediit, altera autem Alaliam venit, ubi Phocaeenses, a popularibus benigne excepti, per quinque annos commorati esse dicuntur. Sed quum rapinis mare turbarent, Carthaginienses una cum Tyrrhenis, quam maxime iis offensi, classe sexaginta [1]) navium instructa, Phocaeensium frangere copias susceperunt. Qui quidem quum et ipsi cum Alaliensibus, sexaginta navibus paratis, illis obviam facti essent, pugna in mari Sardoo secuta est, qua Carthaginienses quidem fugati, Phocaeenses tamen ita debilitati sunt, ut non amplius in Corsica se tueri possent, sed primum Rhegium pertenderent, tum Veliae in Italia inferiori fundamenta jacerent. Massiliam, quod supra diximus, Herodotus haud commemoravit, certum tamen est, aliorum scriptorum testimoniis, partem Phocaeensium post proelium illud navale Massiliam venisse.

Cum hac Herodoti narratione haud facile consociaveris, quae ex Aristotele ab Athenaeo [2]) traduntur. Euxenus, e Phocaeensium, qui Massiliam condiderint, numero cum Nanno, Gallorum regulo quodam, hospitio conjunctus fuisse dicitur. Qui quum navi forte ad ejus terram appulisset, convivio interfuit,

---

mach. ap. Schol. Soph. Antig. 270. Suid. v. *φωκαέων ἀρά*. Erasmi adag. p. 223.

1) *νηυσὶ ἑκάτεροι ἑξήκοντα* Herod. I, 166. Conjuncta eorum classis sexaginta naves continuisse videtur. Larcher. Tom. I. p. 465.

2) XIII. p. 576. *Φωκαεῖς οἱ ἐν Ἰωνίᾳ ἐμπορίᾳ χρώμενοι ἔκτισαν Μασσαλίαν.*

quo Pettam, Nanni filiam constitutum erat ei, quem ipsa elegisset in matrimonium dare. Phiala autem, qua maritum, quem vellet, indicare debebat, Euxeni manibus tradita, regem haud repugnasse, quo minus filiam ille uxorem duceret. Pettam deinde nomen in Aristoxenam mutasse et ab Euxeno peperisse Protin, a quo gens Protiadarum Massiliae originem duxerit. — Ex his autem Euxenum puto ut mercatorem cogitandum, non ut Phocaeensium satis valida classe advectorum ducem. Hoc vero tum ipsius indicant Aristotelis verba, tum locus quidam Plutarchi [1]) confirmat, ubi mercatores Massiliam condidisse dicuntur, etsi a Plutarcho dux eorum Protus vocatur. Quocirca haec ab Aristotele et Plutarcho tradita ad primam Massiliae originem referenda esse arbitror.

His subjungantur, quae de origine Massiliae apud Justinum 43, 3. occurrunt. Qui quidem historiae Romanae primordia explicans, temporibus Tarquinii [2]) regis factum esse ait, ut Phocaeenses Tiberis ostio invecti amicitiam cum Romanis jungerent, quo facto in ultimos Galliae sinus navibus profectos eos Massiliam condidisse magnasque res bellis cum Gallorum gentibus gessisse. Etenim Phocaeenses, in expeditionibus, in occidentem susceptis, in loca quoque prope Rhodani ostia devenisse. Quo-

1) Plutarch. Sol. 2. Ἔνιοι δὲ καὶ (sc. ἔμποροι) πόλεων οἰκισταὶ γεγόνασι μεγάλων, ὡς καὶ ὁ Μασσαλίας Πρῶτος ὑπὸ Κελτῶν περὶ τὸν Ῥόδανον ἀγαπηθείς. Qui locus, quamquam ab editoribus varie tentatus, recte se habet. Ineptum illud Xylandri, Ἀγαπηθεὶς pro nomine proprio habendum esse.

2) Qui tamen non potest, quod Johansenio, prolixius, ut solet, de hac re disputanti praeplacuit, pro Tarquinio II. haberi.

rum quidem amoenitate captos, quum domum rediissent, plures sollicitavisse, ducibusque Simo ac Proti in oram Galliae navigasse. Ubi quidem Nanni regis amicitiam assecutos Massiliam eos exstruxisse. Protis Nanni filiam, quae Gyptis a Justino vocatur, in matrimonium duxisse, perinde atque ab Aristotele, nominibus 1) tantum mutatis, narratur. Videtur omnino haec fabula Massiliae in ore populi fuisse. Ac Tarquinio I. regnante Massilienses cum Romanis societatem inivisse, mature ab illis inventum esse puto, scilicet ut ab origine urbis suae, quae ad Tarquinii I. aetatem pertinebat, istud cum Romanis foedus repeterent. Quid, quod inde explicandum Niebuhrius 2) esse putavit, quod Bellovesus, dux Gallorum, ducentis annis ante veram illorum in Italiam invasionem Alpes transiisse dicatur?

4) *Urbis descriptio.*

Versamur jam eo in loco, a quo ipsius Massiliensium historiae initium capiatur. Quam tamen priusquam exordiar, dicam nonnulla de urbis situ, quae huc maxime facere putavi. Sunt autem ea quidem paucissima. Nam a Francogallis quae de hac re disputata habemus, etsi studiose contuleram, mappa 3) praesertim adhibita, quae Massiliam hodiernam pro singulis ejus

---

1) Est omnino in afferendis condendae Massiliae ducibus mira nominum diversitas, inde opinor exorta, quod plurium coloniarum ducum nomina confundebantur. V. Hendreich. p. 2947. Casaub. ad Strab. VI. comment. p. 119.

2) Niebuhr Röm. Gesch. Tom. II. p. 259. Liv. V, 4.

3) Plan de Marseille par P. Demarest.

partibus accurate descriptam exhiberet, hoc ipso tamen intellexi, vix proferre me posse, quippe qui destitutus essem *αὐτοψίᾳ*, nisi quod ex ipsis illorum libris depromptum esset; unde in iis tantum afferendis, quae apud veteres de Massiliae situ occurrerent, acquiescendum mihi esse judicavi. Ex iis primum laudari debent, quae apud Caesarem leguntur (B. C. II, 1.) „Massilia fere ex tribus oppidi partibus mari adluitur, reliqua quarta est, quae aditum habet a terra.“ Plura de his rebus sunt apud Strab. IV. p. 179.: „*Κεῖται δ' ἐπὶ χωρίου πετρώδους· ὑποπέπτωκε δ' αὐτῆς ὁ λιμὴν θεατροειδεῖ πέτρᾳ, βλεπούσῃ πρὸς τὸν νότον· τετείχισται δὲ καλῶς καὶ αὐτὴ καὶ ἡ πόλις σύμπασα, μέγεθος ἔχουσα ἀξιόλογον, ἔν τε τῇ ἄκρᾳ τὸ Ἐφέσιον ἵδρυται καὶ τὸ τοῦ Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερόν.*“ His adjici debent, quae sunt apud Eumenium paneg. ad Const. c. 19.: „Massilia, ut audio, in profundum mare prominens, et munitissimo adcincta portu, in quem angusto aditu mediterraneus refluit sinus, solis 1500 passibus terrae cohaeret, qua firmissimus et turribus frequentissimus murus opponitur.“ Haud congrua haec esse Massiliae hodiernae, quippe quae in portu longe in terram recedente ac versus occidentem spectante exstructa, non in peninsula locum habeat, quivis facile intelligit. Accedit, quod ipse portus alius hodie atque antiquitus fuit. Quum enim quem antiqui Massilienses portum habuere, is versus meridiem pateret, intelligi eo nunc quidem non potest, nisi qui hodienum antiquus portus 1) vocatur. Ad quem

1) Veteris Massiliae portus Lacydon vocabatur. Scylax p. 2 in Huds. Geogr. I. Caes. B. C. II, 22. Casaub. ad Strab. IV, p. 179. Tzschucke ad Mel. II, 5, 3. Tom. VI. p. 471. Eckhel D. N. Vol. I. p. 68. Guesnay Ann. Mass. p. 9. Ruffi Tom. I. p. 4. Marin

si Strabonis (l. l.) et Eustathii (ad Dionys. 25.) tradita referenda esse judicamus, et locum damus conjecturae, quod pristino aevo fortasse amplior ille fuerit, quam hodie, alter autem, quo nunc utuntur Massilienses, minorem ambitum habuerit, facile possunt tam de Massiliae quam de portus situ quae memorantur a veteribus explicari. Urbs ipsa perampla muros firmissimos habuit, in arce Apollinis [1]), Dianae Ephesiae ac Minervae templa, et prope portum, uti videtur [2]) navalia.

CAPUT II.

HISTORIA MASSILIENSIUM INDE AB URBIS ORIGINE USQUE AD SOCIETATEM CUM ROMANIS INITAM.

Duo sunt inprimis, de quibus per hujus capitis ambitum agendum esse videatur, alterum quae cum finitimis Gallorum gentibus, alterum quae cum Carthaginiensibus gesta a Massili-

---

memoire sur le port de Marseille p. 200—232. (in lib. l'ancienne ville de Tauroentum, Avignon 1782.) cf. Valesii Not. Gall. p. 319.

1) Templum Dianae putant esse, ut nunc est, l'église de la Majeur, Apollinis templum l'église de St. Sauveur.

2) Strab. IV. p. 180.

De nominis Massiliae, quae vulgo solet proferri, derivatione, mira certe ac tantum non nugatoria (sc. a *μάσσαι — ἁλιεύς*) v. Tzschuck. ad Mel. Vol. VI. p. 472. Occurrit autem ea tum apud Timaeum in Steph. B. v. Μασσαλία tum ap. Eustath. ad Dionys. 75. Larcher. Tom. I. p. 429. Gentilia: Μασσαλιεύς, Μασσαλιώτης, Μασσαλιήτης. v. Eckhel. D. N. Vol. I. p. 67.

ensibus fuerint. Nam de interiori, quae dicitur, reipublicae historia nec traditum quicquam habemus, nec conjecturis, unde quid proficiatur, assequi licet. De iis vero, quaé jam respici debeant, eo contractius puto explicari posse, quo longius in enarrandis iis aliorum vagata est oratio. Itaque quam potero brevissime referam, quae apud Justinum [1]), cujus quidem paene sola in iis utimur auctoritate, reperiantur.

De populis Galliae Massiliae vicinis jam alienum puto multa disserere; satis est monere, Ligures [2]) fuisse, qui inde a Rhodani ostio Galliae oram tenerent, e quibus qui Massiliae proxime accolebant, et quum urbs conderetur, Nannum regem habuere, Segobrigii nuncupantur. Qui quidem Nanno superstite pacem cum Massiliensibus servasse feruntur. Hoc autem extincto, Comanus filius, metuens scilicet, ne quae ingravescebat usque Massiliensium potestas, damno Gallis evaderet, perniciem Massiliensibus ita machinatus est, ut Floralium, quae Massiliae celebrabantur, opportunitate fortissimos quosque de suis vehiculis, frondibus, quibus in festo usus erat, adopertis in urbem introduci juberet, ipse vero exercitum prope illam in insidiis collocaret. Hoc tamen consilio a muliere quadam juveni alicui Massiliensi, quem amasium habebat, patefacto, Massilienses non solum Gallos, qui urbem intraverant, interfecerunt, sed etiam insidias, quibus istorum conatus rex adjuvare constituerat, ita

1) Justin. 43, 4.

2) „Ligurum celeberrimi ultra Alpes, Salyi, Deceates, Oxubii.“ Plin. H. N. III, 5. cf. Vales. Not. Gall. p. 23. Cluver. Ital. antiq. p. 46.

praeoccupaverunt, ut ipse una cum septem millibus Gallorum caederetur. Massilienses inde majori vigilantia adhibita diligenter caverunt, ne simile quid in posterum iis accidere posset.

Magna cum Liguribus bella cladem Comano inflictam secuta sunt, ea tamen tanto successu a Massiliensibus debellata, ut tum opes exinde suas augerent, tum nomini ac virtuti Graecorum etiam in his oris novum decus pararent. Tempore autem procedente quum, ut Justini verbis utar, „fama rerum gestarum, et abundantia opum et virium gloria virente, Massilia floreret, repente finitimi populi ad Massiliensium nomen delendum velut ad commune extinguendum incendium concurrerunt." A coeptis tamen (nam prope Massiliam jam consederat eorum exercitus) torvae mulieris specie deterriti esse dicuntur, quae Catumando duci ab iis constituto, per somnium sese obtulerat. Quo facto ultro is pacem a Massiliensibus petivit, eaque impetrata quum deorum adorandorum caussa urbem adiisset, statuam Minervae, cujus templum intraverat, mulieris ejus intellexit imaginem referre, quae somnianti ei apparuerat. Itaque et dona deae obtulit, et perpetuam amicitiam cum Massiliensibus junxit. Parta pace et securitate restituta, Massilienses pecuniam feruntur suppeditasse Romanis, unde a Gallis, qui tum Romam obsessam tenebant, se redimerent. Hi enim quo in discrimine versarentur, a legatis acceperant, quos ipsi Apollini Pythio ob finitum cum Gallis bellum munera oblaturos Delphos miserant; quod si verum esset de tempore simul constaret, cui bellum cum Catumando assignari deberet. Pro illo beneficio ut se gratos praestarent, et immunitatem Massiliensibus Romani decreverunt et locum spectaculorum in senatu dederunt, et foedus aequo jure

permiserunt. His verbis finem Justinus fecit iis, quae de Massilia tradiderat.

In examinanda Justini fide et auctoritate peropportune evenit, quod Heerenio [1]), viro summo, hanc rem ad disquisitionem vocare placuit. Cujus quidem si sectamur auctoritatem, neque est, quam potiorem habeamus, locus apud Justinum de Massilia ad eas pertinet historiarum Trogi Pompeji partes, quae tum uberius ab ipso tractatae, tum a Justino copiosius narratae sunt. Est autem perquam credibile, Timaeum [2]) ac Dioclem, inprimis vero priorem illum, fuisse, quorum libris in describendis rebus Massiliensium Trogus maxime uteretur. Nisi forte haec omnia Trogus, quem ipse Justinus in Vocontiis natum esse affirmavit, a Massiliensibus acceperit; fabularum certe conformandarum studium postrema eorum, quae adduxi, satis produnt, quibus hoc egisse Massilienses apparet, ut foederis cum Romanis initi, aevo jam antiquissimo documenta exhiberent. Caeterum pauca omnino sunt, nec nisi universa quaedam, quae pro veris possis agnoscere, caetera, utpote quae prope mythicam speciem habeant, commenticia videntur. Massiliensium, donec ipsi viribus satis pollerent, haud dubie intererat, ut ne Gallos, quibus aegre videbatur resisti posse, lacesserent. Unde credibile videtur, Massiliensium ab initio societatem aliquam cum Gallis fuisse, deinde Gallos arma contra eos cepisse, bella ta-

---

1) De Trogi Pompeji fontibus p. 241. (Comment. soc. Gott. Tom. XV.)

2) Timaeum Massiliam novisse, inde quoque, puto, concludi potest, quod, ut infra apparebit, plura e Pytheae scriptis depromsisse videtur.

men inde exorta fausto eventu a Massiliensibus gesta esse. Ligures autem non tantum terra, sed etiam mari [1]), piraticam scilicet exercentes, Massilienses vexavisse videntur.

Sed altera jam excutienda est quaestio, quid gesserint Massilienses cum Carthaginiensibus [2]). His quidem offensioni fuisse Massiliam tum invidia patet, qua persequi solebant, qui mercatui suo officerent, in ejusque communionem se intruderent, tum ipso proelio illo navali, quod a Phocaeensibus iis ac Tyrrhenis commissum perpetuae, quae insecuta est, utriusque populi inimicitiae quasi exordium fuit. Quamquam quod asseruit Justinus, Massilienses Carthaginiensibus pacem saepe dedisse petentibus, dubito an vere ille dixerit. Massilienses enim a Carthaginiensium copiis [3]) fortiter se defendisse, certum quidem est, attamen vix puto magna inter utrosque populos bella fuisse gesta, neque ita feliciter res Massiliensium eventuras fuisse, nisi aliorsum maxime in Siciliam opes suas ac vires Carthaginienses convertere maluissent.

---

1) Strab. IV. p. 184.

2) Justin. 43, 5.

3) Huc pertinent, quae sunt apud Strabonem IV. p. 180.; ἀνάκειται δ' ἐν πόλει συχνὰ τῶν ἀκροθινίων, ἃ ἔλαβον ἀεὶ καταναυμαχοῦντες τοὺς ἀμφισβητοῦντας τῆς θαλάττης ἀδίκως. cf. p. 184. Pausaniae et Thucydidis loca (X, 8. [illegible] 13.) dubium est, num ad proelium illud Ol. XLV commissum referri debeant, an ad aliud quoddam posterius.

CAPUT III.

HISTORIA MASSILIENSIUM INDE A SOCIETATE CUM ROMANIS INITA USQUE AD BELLUM CUM CAESARE.

Historiae Massiliensis cur in societate cum Romanis inita singularem periodum constituerim, tum vi patet, quam in illam ea exercuit, tum quod simul tempus designat, quo Carthaginiensium vires imminui coeperunt, contra Massiliae opes ea ipsa de caussa magnopere augerentur. Paullo uberius igitur de hac re explicandum esse arbitror, ita quidem ut primum dicam de tempore, quo foedus ictum videatur, tum de ejus ratione atque natura.

Duo, quibus ex antiquiori quidem aevo Romanorum cum Massiliensibus repeti possit societas, supra jam sunt explosa. Neque enim alterum illud apud Justinum, quo Massilienses ante conditam urbem suam Tiberis ostio invecti, amicitiam cum Tarquinio rege junxisse perhibentur, nec alterum, quod de pecunia dicitur, Romanis a Massiliensibus subministrata, tantam illius foederis antiquitatem demonstrare potest. Alia autem, quibus ad foedus quoddam sanciendum commoti videantur, nec indicantur a scriptoribus, nec facile cogitari queunt. Quum enim foedera in antiquitate et rariora essent, et mutui tantum vel commodi vel auxilii caussa iniri solerent, nec Massiliensibus nec Romanis ante bella Punica aliquam societatis ineundae necessitatem fuisse apparet. Licet enim vel antiquiore aetate rei navali curam quandam Romani impenderint, inde tamen colligi nequit, appetiisse eos Massiliensium amicitiam, id quod foederibus quoque negatur, quae cum Carthaginiensibus istorum ho-

stibus fecerunt. Massilienses vicissim nihil habebant, quo Romanorum societatem magnopere quaererent, quippe qui tum temporis nec navales, quae aliquo pondere essent, copias haberent, nec imperii fines ita prolatatos, ut terras, quibus vicini fuere Massilienses, attingerent. Neque primo Punico bello aut Massiliensibus aut Carthaginiensibus quicquam incitamento fuit, quo ad amicitiam mutuo jungendam compellerentur. Nam a Massilia quidem remotiora erant loca, ubi bellum saeviebat, neque Romani navalis rei adeo ignari ejus initio fuissent, si Massiliensium auxilia iis suppetiissent. Quum inter primum et secundum Punicum bellum Romani cum Gallis confligerent, idonea sane fuit opportunitas, qua Romanorum, quibuscum jam communes hostes habebant, Massilienses societatem quaererent. Hoc an vere sit factum ignoramus. Primum [1]), quod de consociatione quadam Romanorum cum Massiliensi republica traditur, ad secundi Punici belli initium pertinet, quo quum Romani, Hannibale ex Hispania profecto, legatos in Galliam misissent, qui Gallos amicos Romano nomini redderent, hi quidem a solis Massiliensibus benigne excepti sunt. Tum primum an juncta sit societas, non traditur; hoc certum, amicitiam Romanorum ac Massiliensium veterum scriptorum testimonio inde ab hoc tempore [2]) esse revocandam.

---

1) Polyb. III, 41. p. 476 Schw. Liv. XXI, 20. 25.

2) Hoc e Polybio quoque colligitur (III, 95. p. 604 Schw.) Massiliensium erga Romanos voluntatem ita praedicante: *εὐγενῶς γάρ, εἰ καί τινες ἕτεροι, κεκοινωνήκασι Ῥωμαίοις πραγμάτων καὶ Μασσαλιῶται, πολλάκις μὲν καὶ μετὰ ταῦτα, μάλιστα δὲ κατὰ τὸν Ἀννιβιακὸν πόλεμον.*

Cujus quae ratio fuerit, tantum e paucis historiae momentis cognosci potest, in quibus illa quidem apparuit. Neque alia ea fuit, quam quae caeteris quoque civitatibus foederatis cum populo Romano intercedebat. Massilienses [1]), quum bellum in Gallia gerebant Romani, opem iis pro viribus ferebant, atque hi vicissim, sicubi Massilienses hostibus vexabantur, auxiliari iis non dubitabant. Sunt autem, quae ex historia Massiliensium servata extant, nonnisi ea loca, ubi aut Massiliensibus a Romanis, aut his quidem ab illis auxilium ferebatur. Habemus igitur Romanorum potissimum historiae enarratores, quorum jam auctoritate utamur.

Quam legatis, quos a Romanis ineunte bello Punico secundo in Galliam missos esse supra diximus, declaraverant voluntatem, eam tum bello in Gallia, quum Hannibalis impetum reprimere Romani tentarent, tum [2]) in Hispania praestiterunt, ubi quum prope Iberi fluminis ostia P. Cornelius Scipio Hasdrubalis classem fugaret, ad eam victoriam et ipsi contulisse feruntur. Singula, praesertim quum ne pertinere quidem ad peculiarem Massiliae historiam videantur, hic persequi nolui.

Societate vero cum Romanis ita solebant uti Massilienses, ut a Liguribus ubi invaderentur aut agri sui aut coloniae, Romanorum auxilium implorarent, qui quum fidem sociorum usque revererentur, neque finium proferendorum occasionem ali-

1) Strab. IV. p. 180.: *καὶ Ῥωμαίους ἐκτήσαντο φίλους· καὶ πολλὰ καὶ αὐτοὶ χρήσιμα κατέστησαν ἐκείνοις, κἀκεῖνοι προσελάβοντο τῆς αὐξήσεως αὐτῶν.* cf. Cic. Philipp. VIII, 6.

2) Polyb. III, 95. Liv. XXII, 19. XXVI, 29. cf. XXXVII, 5.

quam praetermitterent, nunquam, quod petebant illi, largiri iis cessabant. Sic de Ligurum navibus quum quererentur [1]) Massilienses (ann. 180 a. Chr.), duumviris ad tuendam oram maritimam constitutis Massiliensis quoque littoris defensio demandata est. Terra perdomiti Ligures [2]) (Oxybii et Deceates) ab Opimio consule dicuntur, quippe qui agros Massiliensium aggressi, Nicaeam et Antipolin eorum colonias occupaverant (ann. 153 a. Chr.). Quod quidem bellum copiosius expositum habemus a Polybio [3]), qui Opimium tradidit, Massiliensium tum agros auxisse, tum securitatem eo adjuvisse, ut barbaros Massiliensibus obsides certis quibusdam temporibus dare juberet.

Senatus Romanus quanti fecerit amicitiam Massiliensium insigni modo declaravit eo, quod quum (ut Livii verbis utar) urbem nomenque omne Phocaeensium deleri jussisset, deprecantibus pro metropoli sua Massiliensibus hoc indulsit, ut incolumes Phocaeenses servarentur.

Novum bellum Livii memoravit epitomator [4]), exortum quidem inter Salyos ac Romanos, qui Massiliensibus, quorum fines Salyi populabantur, auxilium laturi, M. Fulvium Flaccum imperatorem miserant. Quem qui secutus est C. Sextius non so-

1) Liv. XL, 18.
2) Liv. ep. 47.
3) XXX, 4 sq. Tom. IV. p. 606.: Ὁ δὲ Κοΐντος κύριος γενόμενος τούτων τῶν ἐθνῶν, παραυτίκα μὲν τῆς χώρας, ὅσην ἐνεδέχετο, προσέθηκε τοῖς Μασσαλιήταις, εἰς δὲ τὸ μέλλον ὅμηρα τοὺς Λιγυστινοὺς ἠνάγκασε διδόναι κατά τινας τακτοὺς χρόνους τοῖς Μασσαλιήταις. cf. Strab. IV. p. 202.
4) Liv. ep. LX.

lum subegit Salyos, sed agri quoque eorum parte Massilienses donavit 1).

Teutones et Ambrones quum Italiam tentarent invadere, Marius, qui prope terram Massiliensem castra tenebat, vario modo a Massiliensibus adjutus est 2). Quibus ut gratum se praestaret, fossam, quam in Rhodano fluvio navigationem levaturus duxerat, eorum imperio tradidit. Quam hi quidem ita in usum suum converterunt, ut a nautis, qui fossa illa veherentur, vectigalia satis larga exigerent.

Haec sunt, quae de Massiliensium historia usque ad hoc tempus perducta adhuc suppetant. Quae enumeravi singula, exspectari fortasse poterat, ut opum ac mercaturae incrementis explicandis, coloniarum praeterea habita ratione illustrarem, quae tamen quum certis aetatibus aptari nequirent, satius opinabar ad secundam dissertationis sectionem reservare.

CAPUT IV.

HISTORIA MASSILIENSIUM INDE A BELLO CUM CAESARE USQUE AD NERONIS AETATEM.

Postrema haec Massiliensis historiae periodus continetur tum obsidionis, qua Caesar urbem cinxerat, eorumque quae secuta eam sint, explanatione, tum literarum, qua maxime insignita est haec periodus, enarratione. De hac autem altera com-

1) Strab. IV. p. 180. Ukert Geogr. I, 1. p. 151.

2) Strab. IV. p. 183. Plutarch. Marius 21.

mentationis parte enucleatius disputabitur; nunc duo inprimis respicienda erunt, bellum quidem cum Caesare a Massiliensibus gestum, ac post captam urbem quam ii sortem sint experti. Hinc puto simul intelligitur, quapropter ab amplissimo ordine Neronis tempora tanquam fines historiae Massiliensis constituta sint, quibus scilicet (quamquam de certo quodam tempore aut anno hic cogitari non potest) et libertatis species, quae post expugnatam urbem Massiliensibus relicta fuit, extingui, et literarum studium languescere coepit.

Massiliae obsidio copiosius hic explicari nequit. Quae quamquam ab ipso Caesare in commentariis de bello civili egregie est descripta, unde magnam disputandi factam sibi copiam esse autumarunt, qui ante me de Massilia disseruerunt, hoc ipsum tamen est, quo propediar, quominus quae tradita sint a Caesare uberius jam excutiam. Quae quum longe satius ex ipso Caesare cognoscantur, operae pretium nonnisi eo facere poteram, si interpretando hunc locum illustravissem, quod tamen ad copiosiorem singulorum veluti tormentorum, quibus Caesaris usus fuerit exercitus, me detorsisset, quae Massiliensis historiae consilio minus quadrare opinabar [1]). Ac si justis limitibus se contineret dissertatio mea, faciliorem veniam rei levius tractatae ab amplissimis judicibus me impetraturum esse sperabam.

Massilienses quam hucusque praestiterant populo Romano fidem ac sanctitatem in amicitia ejus colenda, eam se servaturos esse speraverant, si partes Pompeji, quae et ipsius reipublicae viderentur esse, amplecterentur. Quo quum ita uteretur

1) Vid. de iis Guischardt memoires militaires etc. p. 37—48.

Pompejus, ut copias, quibus voluntatem suam tueri possent, auxilio iis mitteret, factum est, ut Massilienses, quamquam initio quidem bellum declinaturi, mox manifesti Caesaris hostes exsisterent.

Priusquam Roma decedebat Pompejus 1), legatos Massilienses, qui tum ibi commorabantur, erat hortatus, ut in sua quidem populique Romani amicitia perseverarent, simulque Domitium ad occupandam Massiliam cum septem navibus miserat. Caesar quum Italia occupata in Hispaniam contenderet, ac Massiliam in itinere conciliare sibi studeret, Massilienses repugnantes invenit. Ac primum quidem quum, ut ageret cum iis, quindecim senatus Massiliensis principes ad se vocavisset, petierant ab eo, ut liberos se esse ab omni partium studio pateretur; „et Pompejo et Caesari beneficiis se obstrictos teneri, quorum alter agros Volcarum 2) Arecomicorum et Helviorum publice iis concesserit, alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit." Interea Domitius Massiliam pervenit ibique lubenter exceptus urbi praeficitur. Quo facto Caesar has Massiliensium injurias ulturus, quum properandum sibi in Hispaniam esset, tres legiones, quas C. Trebonii imperio mandabat, ad obsidendam Massiliam reliquit, simulque naves longas numero XII. Arelate exstruendas curavit iisque Decimum Brutum praefecit.

---

1) Caes. B. C. I, 34.

2) Sedes habuerunt in dextra Rhodani ripa, Salyis illas quidem oppositas Strab. IV. p. 186. Quorsum vero haec Pompeji atque Caesaris beneficia pertineant, frustra adhuc viri docti laboraverunt. v. Oudendorp. ad Caes. I, 35.

Urbs munitissima erat et moenium structura [1]), et tormentorum armorumque copia ac praestantia. Jam ante Caesaris adventum tum frumentum invexerant Massilienses, tum Albicos [2]) in urbem arcessiverant, quorum auxilio in defendenda ea uterentur. Quum in navium copia, Romanis longe superiori, nautarumque ac remigum dexteritate maximam fiduciam ponerent, Domitio hortante, paullo post Caesaris abitum in Hispaniam portu egressi cum Bruti navibus, quae prope insulam Massiliae oppositam stationem tenebant, conflixerunt. Sed tanta fuit Romanorum militum fortitudo, ut quamquam navium et celeritate et numero Massiliensibus cedebant, tamen eos fugarent, captisque septem eorum navibus in portum repellerent. Multo funestior clades fuit, qua aliquanto post affligebantur Massilienses. Navibus enim XVI Nasidieno duce a Pompejo subsidio missis, Massilienses, quum hoc accepissent, classe refecta et aucta, portum denuo reliquerunt. Ad quam expeditionem suscipiendam vires suas [3]) ita exhauserant, ut omnem civitatis salutem in ea positam esse existimarent. Nasidieni vero milites non eam quam Massilienses, fortitudinem ostenderunt, iterumque Romanorum ita valuit virtus, ut copiae Massiliensium navales ea pugna prorsus fugarentur. Ex quo nihil amplius mari quidem susceperunt.

Copiae Romanorum pedestres initio quidem tum tormentis Massiliensium, quibus vineae omnes ac testudines frangerentur,

---

1) Strab. IV. p. 180.

2) Caes. I, 34. „qui in eorum fide antiquitus erant, montesque supra Massiliam incolebant." 'Αλβιεῖς καὶ 'Αλβίοικοι Strab. IV. p. 203.

3) Frontin. strat. I, 7. Caes. B. C. II, 3 — 8.

tum eruptionibus eorum, quamquam facili negotio usque repulsis, praepediebantur. Quibus difficultatibus ut se expedirent, primum testudines fortioribus lignis muniebant, tum ut eruptiones Albicorum ac Massiliensium in posterum arcerent, turrim [1]) prope murum exstruxerunt, eumque tanta altitudine ac robore, ut quaecunque tandem Massilienses ad diruendam eam molirentur, incassum fierent. Musculum vero quum exinde ad murum promoverent Romani, defensum illum quidem a turri, eoque murum ac turrim quandam Massiliensium diruere inciperent, hi perterriti supplices rogaverunt legatum Romanum, ut inducias cum iis componeret, donec Caesar, ex Hispania redux, deditionem eorum accepisset. Morem iis Trebonius gerendum esse putavit, quod imperatum sibi erat a Caesare, ut ne vi capi Massiliam pateretur; sed ita abusi esse induciis Massilienses feruntur, ut subito facta eruptione operibus Romanorum occupatis ignem injicerent eaque tempestate praesertim oborta brevi tempore cremarent. Non contigerunt autem, quae se assecuturos eo esse speraverant emolumenta. Romani enim eam sollertiam ad reficienda opera sua adhibuerunt, ut Massilienses, omnibus jam subsidiis destituti, iterum Romanorum clementiam implorarent. Caesar quum ex Hispania rediisset, Massilienses ita in deditionem accepit, ut arma tormentaque proferre, naves ex portu navalibusque educere, pecuniam ex publico solvere eos juberet [2]).

1) Oudendorp. ad Caes. II, 9. 10. p. 619. 621.

2) Paullo alia ratione a Dione Cassio (XLI. p. 280 Reim.) de obsidionis exitu expositum est, haec de eo tradente: καὶ διακωχήν τινα ὡς καὶ τῷ Καίσαρι, ἐπειδὰν ἔλθῃ, προχωρήσοντες ποιησάμενοι τόν τε Δομίτιον ὑπεξέπεμψαν καὶ τοὺς στρατιώτας ἐπιθε-

Praeterea duas Massiliae legiones praesidio reliquit. In triumpho autem, quem postea Caesar habuit, et ipsa Massilia, uti questus est Cicero (Philipp. VIII, 6.), portata est.

Funesto hujus belli exitu adeo fractae sunt Massiliensium opes, ut praeter ea, quae domi inprimis ad literas colendas egerunt, nihil, quod dignum esset memoratu, perficerent. Hoc tempore quae ratio iis cum Romanis fuerit Caesar praeter ea, quae paullo antea retulimus non indicavit, Dio Cassius vero Massiliensibus ablata esse omnia asseruit, praeter libertatis nomen. His adjiciamus Strabonem [1]), ita narrantem: *καὶ ὁ Καῖσαρ δὲ καὶ οἱ μετ' ἐκεῖνον ἡγεμόνες, πρὸς τὰς ἐν τῷ πολέμῳ γεννηθείσας ἁμαρτίας ἐμετρίασαν, μεμνημένοι τῆς φιλίας, καὶ τὴν αὐτονομίαν ἐφύλαξαν, ἣ ἐξ ἀρχῆς εἶχεν ἡ πόλις. ὥςτε μὴ ὑπακούειν τῶν εἰς τὴν ὑπαρχίαν πεμπομένων στρατηγῶν μήτε αὐτὴν, μήτε τοὺς ὑπηκόους.* Patet

μένους σφίσιν ἐν ταῖς σπονδαῖς νυκτὸς, οὕτω διέθεσαν, ὥστε μηδεὶς ἔτι τολμῆσαι. τῷ μέντοι Καίσαρι αὐτῷ ἐθελοντὶ ὡμολόγησαν· καὶ ὅς αὐτῶν τότε μὲν τά τε ὅπλα καὶ τὰς ναῦς, τά τε χρήματα ἀφείλετο· ὕστερον δὲ καὶ τὰ λοιπὰ πάντα, πλὴν τοῦ τῆς ἐλευθερίας ὀνόματος. Quae quidem quum negent perfidiam illam Massiliensium et ab eo scriptore referantur, qui alienus plane fuerit a partium studio, potiorem iis fidem atque illis a Caesare traditis habendam esse Johansenius p. 60 judicavit. Notandum tamen, discrepantiam illam etiam e loco Caesaris, quem Dio caeteroquin exscripsisse videtur (cf. p. 256. 276. 278), male ab eo intellecto, exoriri potuisse. Et explicari potest perfidia ista, si Domitium usque ad postremam Massiliensium deditionem in urbe remansisse reputaverimus. Caes. B. C. II, 22.

1) IV. p. 181.

ex hoc maxime Strabonis loco, ad liberas [1]), quae dicebantur in imperio Romano, Massiliam civitates pertinuisse, ita ut suis uti legibus liceret, neque magistratuum Romanorum imperio subjecta esset. A Plinio quidem urbs dicitur foederata. Idem [2]) Crinae, medici Massiliensis, sumptibus moenia restituta esse perhibet. Praesidium, a Caesare Massiliae relictum haud admodum diu ibi mansisse videtur, cujus sine dubio is tantum finis erat, ut ad perficienda, quae a Caesare iis imperata fuere, Massilienses adigeret. Tum postremis reipublicae Romanae temporibus, tum Caesarum imperio, nobiles Romani studiorum potissimum caussa saepe Massiliam concesserunt [3]).

1) Quamquam vir doctus e Francogallis, qui rem eam singulari commentatione illustravit (Belley observations sur le titre d'Eleuthère etc. Mem. de l'ac. des inscr. Tom. XXXVII. p. 419) Massiliam tantum αὐτόνομον habuit non ἐλευθέραν.

2) XXIX, 5 Bip.

3) Tac. A. IV, 43. XIII, 47. Agr. 4.

SECTIO II.

ANTIQUITATES MASSILIAE.

Si quid conjectura assequi licet in iis, quae testimoniis veterum aut plane destituta, aut non satis illustrata sunt, est profecto magis in rebus ad civitatium statum pertinentibus, quam in historiarum explicatione, quod conjectandi cuidam studio indulgeamus. Nam quae rebus maxime Graecorum subest analogia, potest ea vario modo adhiberi, ut quae ab antiquis scriptoribus minus plene vel accurate tradita sunt, accuratius a nobis perspiciantur; contra in maximos errores delaberetur, qui eandem judicandi libertatem rebus a Graecis tempore procedente peractis inferre tentaret. Hoc igitur quum animo mecum reputarem, in priori quidem hujus commentationis parte historiae Massiliensium conjectando quicquam inferre magnopere dubitavi, praesertim quum Francogallorum exemplo perquam temerariam hanc rationem esse intelligerem. In secunda hac sectione liberius puto in hoc genere me versari posse, quippe qua plura reperiantur, de quibus quum paucissima veterum constent testimoniis, sani judicii usu si non veritatem, at probabilitatem tamen attingere licet. Quorum quidem addiscendorum si vera initur ratio, alia profecto eaque haud scio an accuratiora et

pleniora, quam quae a prioribus disputata sunt, afferri poterunt. In singulis autem, quae de institutis Massiliensium ac moribus, caeteris, quae huc faciunt, notari debeant, explicandis, hac utar via, ut primum dicam de agri Massiliensium natura ac proventu, tum de reipublicae forma, tum de legibus eorum ac moribus, tum de cultu deorum, denique mercaturam ac literarum studia pertractem, quibus quidem postremo loco quae exquirere potui de coloniis subjungam.

CAPUT I.

DE AGRI MASSILIENSIUM NATURA AC PROVENTU.

Terra Massiliensium nunquam latius patebat, sive barbarorum ferocia ac fortitudo prohibuit eos, quo minus versus septentrionem fines suos proferrent, sive intellexerunt, civitatibus, quarum in mercatura omne studium versatur, terrarum a mercandi opportunitate alienarum occupatione parum consuli. Quo ambitu circumscriptus fuerit pagus Massiliensis, fere intelligi potest tum ex sedibus Ligurum [1]), qui ejus obtinebant confinia, tum ex agris [2]), quibus Romani de terris, quas Gallis ademerant, illum auxerunt. In littore Galliae meridiano, quod paene totum obsessum [3]) tenebant, portuum fuit magna opportunitas, quibus

1) Fuerunt ii quidem inde a Rhodano usque ad Varum fluvium: Salyi, Oxubii, Deceates.

2) cf. p. 25.

3) Exceptis tamen tractibus quibusdam; Sextius enim (Strab. IV. p. 180.) Salyis vetuit, ne duodecim stadiorum spatium, quo a mari deberent recedere, transgrederentur. cf. Polyb. XXXIII. Tom. IV. p. 606 Schw.

ita sunt usi Massilienses, ut colonias in iis constituerent, quae mercaturam in hac ora ad se transferrent. Quod ut consequerentur, magno iis fuisse adjumento videntur, quas prope littus tenebant insulas [1]), Stoechades quidem vocatas, ubi et agriculturam et praesidia inde a prioribus temporibus sustentabant. Portubus et ipsae insignes fuisse dicuntur. Proximum post Stoechades locum tenuerunt Planasia et Lero, insulae Antipoli oppositae et coloniis cultae Massiliensibus.

Aër circa Massiliam pariter atque in ora totius provinciae salubris est, at ventis tamen subinde violentis [2]) atque damnosis turbatur. Solum aridum est [3]) ac lapidosum minusque aptum propterea frumentis progignendis, quam oletis vinetisque [4]), quo-

---

1) De quibus plurima hauriuntur e Strabone (IV, p. 184): προκεῖνται δὲ τῶν στενῶν τούτων ἀπὸ Μασσαλίας ἀρξαμένοις αἱ Στοιχάδες νῆσοι, τρεῖς μὲν ἀξιόλογοι, δύο δὲ μικραί. γεωργοῦσι δ' αὐτὰς Μασσαλιῶται· τὸ δὲ παλαιὸν καὶ φρουρὰν εἶχον, ἱδρυμένην αὐτόθι πρὸς τὰς τῶν ληστηρίων ἐφόδους, εὐποροῦντες καὶ λιμένων. Μετὰ δὲ τὰς Στοιχάδας ἡ Πλανασία καὶ Λήρων, ἔχουσαι κατοικίας· ἐν δὲ τῇ Λήρωνι καὶ ἡρῶόν ἐστι τὸ τοῦ Λήρωνος. Κεῖνται δὲ αὗται πρὸ τῆς 'Αντιπόλεως· ἄλλα δ' ἐστὶν νησίδια οὐκ ἄξια μνήμης, τὰ μὲν πρὸ τῆς ἄλλης τῆς λεχθείσης ἠϊόνος. V. praeterea Plin. III, 5. (cf. Vales. Not. Gall. p. 6.) Mel. II, 7. Ptolem. II, 10. De priscis singularum insularum nominibus ad hodierna traducendis uberius explicavit H. Bouche chorogr. de Provence Tom. I. p. 40 — 45.

2) Huc maxime pertinet Braston v. Strab. IV. p. 182. Bouche l. l. p. 19.

3) Strab. IV, p. 179 κεῖται δ' ἐπὶ χωρίου πετρώδους.

4) ibid. Χώραν δ' ἔχουσιν ἐλαιόφυτον μεν καὶ κατάμπελον· σίτῳ δὲ λυπροτέραν διὰ τὴν τραχύτητα.

rum magna ibi est fertilitas. Quae quidem quod in oras Galliae translata sunt, ipsis haud dubie aut Phocaeensibus aut Massiliensibus debetur, qui quum terrae naturam illorum culturae convenire animadverterent, ea quidem una cum aliis plantis in sedes suas traduxerunt [1]). Ad saxosam terrae naturam pertinet etiam, qui prope Massiliam inter ipsam urbem et Rhodanum fluvium situs est campus, lapidibus forma ea, ut singulos manu possis comprehendere, miro modo conspersus, ita ut jam veteres, quum explicare sibi eorum originem non possent, ab ipso Jove, Herculi cum Ligybus pugnanti auxiliaturo, demissos istos esse perhiberent [2]). In littore magna est piscium inprimis thunnorum, a Martiali celebratorum, abundantia ac notatu dignum est, quod prope oram maritimam corallium reperitur [3]). An

---

1) Bouche chorogr. de Prov. p. 47 sq.

2) Memorabilis locus est Aeschyli (Prometh. sol. ap. Strab. IV. p. 183), ubi Herculi a Prometheo haec aperiuntur:

> Ἥξεις δὲ Λιγύων εἰς ἀτάρβητον στρατόν,
> Ἔνθ' οὐ μάχης, σάφ' οἶδα, καὶ θοῦρός περ ὤν
> Μέμψῃ· πέπρωται γάρ σε καὶ βέλη λιπεῖν.
> Ἐνταῦθ' ἑλέσθαι δ' οὔτιν' ἐκ γαίας λίθον
> Ἕξεις, ἐπεὶ πᾶς χῶρός ἐστι μαλθακός.
> Ἰδὼν δ' ἀμηχανοῦντα σ' ὁ Ζεὺς οἰκτερεῖ,
> Νεφέλην δ' ὑποσχὼν νιφάδι στρογγύλων πέτρων
> Ὑπόσκιον θήσει χθόνα, οἷς ἔπειτα συμ-
> βαλὼν δηώσεις Λιγὺν στρατόν.

Cf. Plin. III, 5. Solin. 8. Hygin. poet. astr. II, 6. Eustath. ad Dionys. 76. Tzschuck. ad Mel. II, 5, 4. not. ex. p. 478. Bouche chorogr. de Prov. p. 19 — 23.

3) Plin. XXXII, 11.

metallis 1) quoque in Gallia usi fuerint Massilienses, ad liquidum perduci nequit; neque id verisimile est, quod non eo usque eorum patuit imperium, quo parandorum illorum copia iis fieret. De fossis Marianis supra 2) monuimus.

CAPUT II.

DE REIPUBLICAE FORMA.

Solebant antiquitatis civitates eam formam assumere, quae civium in quibus salus reipublicae inprimis posita esset, studiis maxime conveniret, ita quidem ut v. c. aristocratica esset ratio, ubi in equestri vel hoplitico exercitu omne civium robur consistebat, democratica, ubi *ἡ ψιλὴ δύναμις* erat *καὶ ναυτική*. Haec ab Aristotele verissime tradita (Polit. VI, 4. p. 208 Goettl.) si ad Massiliensium rempublicam traducuntur, studia civium, in mercatura quippe exercenda posita, illius quoque constituisse formam apparet. Massilienses enim quum omnem prope florem ac potestatem suam commercio deberent, ad eos, qui eo maxime intenti opibus pollerent, imperii summam deveniret necesse fuit. Unde oligarchica reipublicae ratio exorta. Hac autem vix reperiri puto in rebus Massiliensium, quod majori cum laude eaque veriori et celebratum sit et debeat celebrari. Docemur hoc cum Ciceronis 3)

---

1) cf. Bouche p. 49.

2) Locos de iis qui sunt apud veteres v. ap. Tzschuck. ad Mel. II, 5, 4. p. 476. 477. Bouche p. 161 sq.

3) Cicero pr. Flacc. 26.) Massiliam sic optimatum consilio gubernari dixit, ut omnes ejus instituta laudari facilius possent, quam

aliorumque auctoritate, tum, quod gravissimum est, stabili per tam longum tempus ac prope immutata ejus ratione. Quamquam paucissima tantum de republica Massiliensium in libris veterum tradita habemus. Nam quum tria sint [1]) potissimum, quibus cujusvis reipublicae administratio contineatur, consilium, magistratus atque judicia, haud novimus ex iis, nisi de consilio nonnulla, inprimis a Strabone nobis servata, quem, ut supra dixi, sua probabile est e deperdita Aristotelis politiarum Graecarum descriptione deprompsisse.

A Strabone autem de Massiliensium republica haec fere traduntur [2]): aristocratia eos uti eaque optimis legibus temperata. Sexcentos viros, qui per totam vitam hoc munus teneant, timuchorum nomine consilium efficere, quo respublica administretur. Quindecim timuchos consilio praeesse, qui τὰ πρόχειρα peragant. Eorum vero tres creari, penes quos summa sit imperii (οἱ πλεῖστον ἰσχύοντες). Timuchi honores neminem assequi, nisi qui tum ipse liberos genuerit, tum ἐκ τριγονίας [3]) civibus ingenuis fuerit prognatus. His a Strabone prolatis subjungi possunt duo in Aristotelis Politicis loci, quos operae pretium est accuratius explanare. Perspicuitati enim consuli putavimus, si ab ipsis veterum scriptorum locis explicandis rem omnem re-

---

aemulari. Strab. IV. p. 179. Just. XLIII, 8. Tittmann Darstellung der griech. Staatsverfassungen p. 516.

1) Aristot. Pol. IV, 14.

2) Strab. IV. p. 179. C. D.

3) Plane hoc institutum est pro oligarchiarum ratione. Aristot. Pol. III, 3.

peteremus. In altero autem illorum locorum, ubi universe exponitur, quibusnam de civium numero reipublicae administrandae partes deferri debeant, haec leguntur [1]): *τὴν δὲ μετάδοσιν γίνεσθαι τῷ πλήθει τοῦ πολιτεύματος, ἤτοι καθάπερ εἴρηται πρότερον, τοῖς τὸ τίμημα κτωμένοις, ἢ καθάπερ Θηβαίοις, ἀποσχομένοις χρόνον τινὰ τῶν βαναύσων ἔργων, ἢ, καθάπερ ἐν Μασσαλίᾳ κρίσιν ποιουμένους τῶν ἀξίων τῶν ἐν τῷ πολιτεύματι καὶ τῶν ἔξωθεν.* Alter locus [2]) haec habet: *ὅτε μὲν γὰρ ἐξ αὐτῶν τῶν εὐπόρων, οὐ τῶν ὄντων δ' ἐν ταῖς ἀρχαῖς γίνεται κατάλυσις, ὅταν ὀλίγοι σφόδρα ὦσιν οἱ ἐν ταῖς τιμαῖς, οἷον ἐν Μασσαλίᾳ καὶ ἐν Ἴστρῳ καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ καὶ ἐν ἄλλαις πόλεσιν συμβέβηκεν. οἱ γὰρ μὴ μετέχοντες τῶν ἀρχῶν ἐκίνουν, ἕως μετέλαβον, οἱ πρεσβύτεροι πρότερον τῶν ἀδελφῶν, ὕστερον δ' οἱ νεώτεροι πάλιν· οὐ γὰρ ἄρχουσιν ἐνιαχοῦ μὲν ἅμα πατήρ τε καὶ υἱός, ἐνιαχοῦ δὲ ὁ πρεσβύτερος καὶ ὁ νεώτερος ἀδελφός. Καὶ ἔνθα μὲν πολιτικωτέρα ἐγένετο ἡ ὀλιγαρχία, ἐν Ἴστρῳ δ' εἰς δῆμον ἀπετελεύτησεν, ἐν Ἡρακλείᾳ δ' ἐξ ἐλαττόνων εἰς ἑξακοσίους ἦλθε.* In postremo horum locorum, a quo jam exordiendum puto, de commutationibus sermo est, quibus oligarchiae vulgo obnoxiae esse soleant. Earum, dicit Aristoteles, esse unam, quae proficiscatur ab iis, qui divitiis quidem pollentes, sed imperio exclusi, in ejus societatem admitti conentur. Factam illam esse tum in aliis oppidis, tum Massiliae. Nam qui magistratuum haud participes fuerint, laboravisse, usque dum compotes eorum facti essent, hos autem primum quidem nonnisi fratres natu majores, tum et ipsos minores assecutos esse. Nonnunquam enim, ut adjicit summus philosophus, caveri, ne pater ac filius, alias etiam, ne frater ma-

---

1) Aristot. Pol. VI, 7.

2) Ibid. V, 6.

jor ac minor natu munere publico simul fungantur. Haec igitur quae statim sequuntur: *Καὶ ἔνθα μὲν πολιτικωτέρα ἐγένετο ἡ ὀλιγαρχία* indicare videntur, gentes ab initio Massiliae fuisse paucissimas (*ὅταν ὀλίγοι σφόδρα ὦσιν οἱ ἐν ταῖς τιμαῖς*), de quorum arbitratu reipublicae penderet administratio, tum caeteras quoque, quae opibus florerent, in imperii communionem se intrusisse, quod primum quidem majoribus tantum natu fratribus tum etiam minoribus contigerit. Jam clarius puto perspiciemus, quid sit illud, quod priori, quem memoravi, Aristotelis loco dicatur. Tribus potissimum rationibus, inquit, posse *μετάδοσιν γίνεσθαι τῷ πλήθει τοῦ πολιτεύματος*, e quarum prima iis decernatur imperium, qui justum censum habeant, ex altera iis, qui per aliquod tempus *τῶν βαναύσων ἔργων* abstinuerint, e tertia denique *καθάπερ ἐν Μασσαλίᾳ κρίσιν ποιουμένους τῶν ἀξίων τῶν ἐν τῷ πολιτεύματι καὶ τῶν ἔξωθεν*. His verbis Aristotelem ad suam ipsius aetatem respicere, quippe qua ea, qua narraverat, ratione constituta fuerit Massiliensium respublica, dubitari non potest. Hoc autem si reputaverimus, probabiliter fortasse explicari poterit, quid sub *τῶν ἐν τῷ πολιτεύματι καὶ τῶν ἔξωθεν* intelligi debeat. Quum enim *πολίτευμα* reipublicae sit administratio *τῶν ἐν τῷ πολιτεύματι* ad gentes puto eas referendum esse, quae primum quidem solae imperium moderatae fuerint, (quo pertinet etiam, opinor, Protiadarum gens quae originem a Proti et Aristoxena, regis Nanni filia, deducebat) *ἔξωθεν* vero ad eos Massilienses, qui praeter istas imperii ac magistratuum compotes fuerint. Unde innuere videtur Aristoteles, omnes, tum qui inde a priori aevo in imperio fuerint, tum alios extrinsecus quasi ad magistratus accessisse, dummodo digni eo honore fuerint. Simul intelligitur, *δοκιμασίαν* quandam subiisse, qui ad gerendas res publicas crea-

rentur, neque solas divitias et opes effecisse, quibus honores aliquis in republica assequeretur.

In inscriptione quadam (Marm. Oxon. p. 75) memoratur, qui prytanis et stephanephoros et sacerdos Massiliae fuerit. Vix autem est, quod ex illa prytanis mentione colligi ad reipublicae Massiliensis rationem possit. Prytanum enim quum in Graecis civitatibus admodum varia esset significatio, potest illud etiam ad summum sacerdotium referri, praesertim si cogitaveris de inscriptione apud Sponium, infra laudanda, qua Dianae Ephesiae sacerdos et ipsa *πρύτανις* nomine insignitur. Quodsi igitur in mentem alicui venerit, quindecim viros illos vel triumviros (*οἱ πλεῖστον ἰσχύοντες*) pro prytanibus esse habendos, dubium certe est, an illa huc pertineat inscriptio. Nec si Atheniensium quidem prytanum illos eo statuamus assecutos esse similitudinem, quod non per totam vitam dignitatem suam obtinuerint, sed ita ut pro diversis temporibus alii eam aliis tradiderint, aliquid eo proficitur, quoniam timuchorum, qui per totam vitam munere suo fungebantur, ratio ab Atheniensium senatu longe discrepabat. Caeterum *τὰ πρόχειρα*, quae curavisse quindecimviros Strabo perhibet, non sunt nisi quae ad manus erant negotia, leviora fortasse illa et quae certo quodam ordine usque recurrebant, sive quae expeditius agendi genus requirebant, id quod v. c. inde apparet, quod Caesar, quum Massilienses in suas partes trahere tentaret, quindecim senatus Mass. principes arcessivisse traditur. Ex quo loco simul perspicitur non licuisse quindecimviris, ut suo arbitrio de rebus certe gravioribus decernerent, sed referendas eas fuisse vel ad populum vel ad senatum.

Gravissima quaestio est, num ab ipso senatu alii suffecti fuerint in locum eorum, qui ex ejus ordine decesserant, an populus senatores creaverit. Alterum illud si statuatur, fieri non potuit, quin senatorum fere tyrannis evaderet, eaque vix ita comparata, ut civitas, quod Cicero [1]) asseruit, summa justitia regeretur. Unde credibile est, a populo cujusvis timuchi delectum pependisse.

De iis, quae peragenda timuchis in republica fuerint, nihil neque ab Aristotele nec a Strabone traditum habemus. Petere quaedam in hoc genere e Luciano [2]) licet, qui Menecratem quendam, quem senatorem designare videtur, ob legem male rogatam ἄτιμον factum bonisque privatum timuchorum judicio poena liberatum esse tradidit. Unde primum intelligitur, summa judicia habuisse timuchos (gravissimam enim actionem illam et apud Massilienses fuisse ipsa Luciani narratio declarat), tum legum quoque ferendarum arbitrium penes timuchos fuisse.

Timuchorum nomen et dignitatem Massilienses ex Jonia adduxisse videntur. Reperiuntur timuchi etiam Naucrati, Mile-

---

1) Republ. I, 27: „Ac modo si Massilienses nostri clientes per delectos et principes cives summa justitia reguntur, inest tamen in ea conditione populi similitudo quaedam servitutis.“ Quae quidem postrema Ciceronis verba iis, quae adhuc disputavimus, non magis officiunt, quam quae alio loco (Republ. I, 28) leguntur: „Illi autem Massiliensium paucorum et principum administrationi civitatis finitimus est qui fuit quodam tempore apud Athenienses triginta consensus et factio,“ dummodo sententiarum nexus recte perpendatur.

2) Toxar. Tom. VI. p. 84—88. Bip.

siorum in Aegypto colonia [1]) et aliis in oppidis. Quod Gallico Politicorum Aristotelis interpreti in mentem venit, ad Thaletem ut Jonum reliquorum ita Massiliensium instituta revocanda esse, nihil jam morari nos [2]) potest.

Δῆμος Massiliensium in inscriptionibus memoratur, unde tamen de ejus potestate nihil concludi potest, quum voce illa passim etiam optimatum consilia significentur. Praeter timuchorum delectum pauca in arbitrio populi posita fuisse videntur, quum omnium quidem testimoniorum auctoritate summum imperium penes timuchorum senatum fuisse constet [3]).

Haec autem Massiliensium reipublicae forma mansit haud dubie sub Romanorum quoque imperio, in quorum, ut Cicero loquitur, clientela illi fuerunt. (v. supra p. 32. Cic. republ. I, 27.) Graeca instituta etiam hoc aevo servata fuisse, *γυμνασιαρχίας* et *ἀγωνοθεσίας*, quae fit in inscr. (Spon. Misc. p. 349. Marm. Oxon. p. 75.) mentio ostendit.

---

1) Athen. IV. p. 146 extr. Wesseling. ad Herodot. II, 178.

2) Champagne Aristot. Pol. Tom. II. p. 283.

3) Locus est apud Strabonem XII. p. 575., quo Cyzicenorum, Rhodiorum, Massiliensium et Carthaginiensium civitates τῷ παραπλησίῳ τύπῳ κοσμεῖσθαι dicuntur, e quo tamen ad Massiliensiensem rempublicam nihil colligi potest, nisi quod aristocratica vel timocratica ratione usi fuerint. cf. Tittmann Gr. Staatsvfgen p. 423. 457. — In inscriptione ap. Spon. Miscell. p. 349. tribus aliqua Τευθαλεῶν φύλη memoratur.

CAPUT III.

DE LEGIBUS AC MORIBUS MASSILIENSIUM.

Leges Massiliensium Jonicas ac publice expositas fuisse, Strabonis testimonio confirmatur [1]). Quae tamen illae fuerint, non dixit, quamquam valde laudabiles eas fuisse, e paucis quibusdam inprimis a Valerio Maximo [2]) servatis, facile persuademur.

Diligenter cavisse [3]) Massilienses, ne instituerentur, quae reipublicae damnosa essent, ex illo jam intelleximus Luciani loco, quo simul *ἀτιμίαν* usitatam Massiliae poenam pariter atque in caeteris Graecorum civitatibus fuisse patet. Capitis damnati eodem usque gladio, qui inde a condita urbe ei usui inservierat, interimi solebant. Urbem nemini licebat cum telo intrare; ubi quis ingressurus ad portas venerat, arma, si qua gestabat, deponenda erant, exeunti ex urbe reddebantur [4]). Si Valerio Maximo (II, 6, 7.) est fides, etiam de manumissionibus praeceperant Massilienses, ut tres in eodem manumissiones rescindi possent, quarto tamen errori haud subveniendum esset, quia sua jam culpa accepisset injuriam, qui toties ei se objecisset. Venenum publice servatum esse dicitur, quod daretur ei, qui

---

1) Strab. IV. p. 179.

2) Val. Max. II, 6.

3) Quae sequuntur omnia e Valer. Max. II, 6, 7 — 9. deprompta sunt, quem in singulis propterea supervacaneum duxi laudare.

4) Haec urbis custodiendae cautio e Justino 43, 4. quidem repetenda est ab insidiis, quibus Catumandus Massiliam occupare tentaverat. conf. Emporitanorum in hoc genere vigilantiam.

caussas sexcentis exhibuisset, propter quas mors ei esset expetenda [1]). Duae arcae asservabantur, quarum in altera liberorum hominum, in altera servorum cadavera plaustris in locum sepulcri devehi solebant. Mortui non deplorabantur [2]), sed sine lamentatione, ut Valerii Maximi utar verbis, sine planctu luctus funeris die domestico sacrificio adjectoque necessariorum convivio finiebatur. Quae in aliis civitatibus esse solebat superstitio, ut faciles sese praeberent homines alienis sacris exercendis ac decipi se paterentur ab iis, qui ex illa superstitione quaestum sibi pararent, hoc ut ne fieret, singulari Massilienses lege vetuerant.

Inter eas Massiliensium virtutes, quas inprimis laudarunt veteres, summa commemoratur frugalitas. Quam ut servarent, a Strabone [3]) dicuntur sumptui in conjugiis ineundis ita temperavisse, ut ne dos centum aureos excederet, vestibus autem aureoque ornatui non ultra quinos aureos impenderetur. Atque quum intelligerent, mimorum spectaculis morum castitati et sanctimoniae magnopere offici, ista quidem ab urbe sua diligenter prohibuerunt. Simili de caussa mulieribus [4]) vino interdi-

---

1) Eundem morem Valerius Maximus ait etiam in Ceo insula adhuc Cn. Pompeji temporibus esse observatum. Versus eo pertinent Menandri, quos subjungendos putavi:

Καλὸν τὸ Κήων νόμιμόν ἐστι, Φανία,
Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς.

Interpr. ad Valer. Max. p. 174. ed. Torren.

2) Quamquam, si vera res est, priori aevo assignanda videtur. cf. Grosson Mon. Mars. p. 94. 193.

3) Strab. IV. p. 181.

4) Athen. X. p. 429. Ael. V. H. II, 38.

xerunt. Has Massiliensium laudes loco quodam Plautino 1) (Cas. V, 4.) commode licet concludere, ab aliis jam ita explicato, ut morum illorum praestantiam egregie confirmet.

In tanta legum ac morum Massiliensium laude mira sunt profecto, quae apud Athenaeum potissimum de luxuria eorum ac mollitie reperiuntur. Quorum primum iilud est, quod de luxuriosis hominibus dici solebat, proverbium: *πλεύσειας ἐς Μασσαλίαν* 2), tum quae apud eundem occurrunt: *ἐθηλύνθησαν, οἱ τὸν αὐτὸν τοῖς Ἴβηρσι τῆς ἐσθῆτος φοροῦντες κόσμον. ἀσχημονοῦσι γὰρ διὰ τὴν ἐν ψυχαῖς μαλακίαν, διὰ τρυφὴν γυναικοπαθοῦντες.* Quibus in locis quae cum prioribus illis offendit repugnantia, non habeo quo satius compescam, nisi Casauboni sententiam, qui ad serius quidem aevum spectare illa judicavit. A Johansenio quae de hac re allata sunt, quivis, ut inspexerit ea, facile videbit quo laborent.

CAPUT IV.

DE DEORUM CULTU.

Quum et mos esset coloniarum Graecarum sollemnis, ut quae civibus in metropoli sanctissima essent numina, ducibus iis et *ἀρχηγέταις* in quaerendis novis sedibus iisque instituendis uterentur, et ipsi Phocaeenses, quum urbem suam Persarum

1) „ubi tu es, qui colere mores Massiliensium postulas.“ v. Johansen. p. 73.

2) sive *ἐκ Μασσαλίας ἥκεις.* Athen. XII. p. 523. cf. Suid. Plutarch. Prov. 60. Camerar. ad Aristot. Pol. VI, 7. Casaub. ad Strab. IV. p. 181. Erasmi adag. p. 757.

imperio relinquerent, diserte ab Herodoto [1]) dicantur, deorum imagines navibus impositas secum duxisse, sacrorum Massiliensium profecto et facilior et accuratior esset explicatio, si de cultu Phocaeensi ita constaret, ut exorsi ab eo ad Massiliensem possemus transire, et sic alterum ex altero explanaremus. Quod quidem etsi fieri non potest, vel sic tamen Massiliensium cultus, usque reputari debet, tum unde profectus fuerit, tum quam Massiliae rationem assumpserit.

Duo potissimum Massiliensium numina digna sunt quae respiciantur, Diana quippe Ephesia [2]) et Apollo Delphinius, de quibus ut deorum apud Massilienses sanctissimis, inter tam pauca certe plurima ad aetatem nostram perduraverunt. Ac Diana quidem Ephesia tum duce usi sunt Phocaeenses in condenda Massilia, tum celebratissimum ibi templum ei exstruxerunt, denique ejus cultum et ipsis coloniis suis sanctissimum esse voluerunt [3]). Quî Massiliae condendae Diana Ephesia dea quasi tutelaris facta fuerit, haec fuit narratio [4]). Quum in eo essent Phocaeenses, ut vela darent, oraculum imperavisse iis fertur, ut a dea Ephesia ducem sibi suscipiendae expeditionis expeterent. Quaesituros igitur, quemadmodum isti dei effato obtemperarent, Ephesum eos venisse. Aristarchae autem, mulieri cuidam nobili deam per somnium apparuisse, jubentem quidem, una cum Phocaeensibus decedere si primum *ἀφίδρυμά τι τῶν ἱερῶν* desumserit. Quo facto quum condita esset Massilia, templum Dianae in arce exstructum ejusque sacérdotem Aristar-

1) Herod. I, 164.

2) Strab. IV. p. 179. 184.

3) Strab. l. l. p. 156.

4) Strab. IV. p. 179.

cham constitutam esse, eamque in summo honore habitam. Decretum simul, *ἔν τε ταῖς ἀποίκοις πόλεσι πανταχοῦ τιμᾶν ἐν τοῖς πρώτοις ταύτην τὴν θεὸν, καὶ τοῦ ξοάνου τὴν διάθεσιν τὴν αὐτὴν καὶ τἄλλα νόμιμα φυλάττειν τὰ αὐτὰ ἅπερ ἐν τῇ μητροπόλει ἐνενόμιστο.* Ut relatam a Strabone hanc narrationem habemus, inventa quidem ea videtur, ut qua Dianae Ephesiae cultus Massiliam devenisset, mythica quaedam esset ratio, unde facile credideris, deam illam, quam satis constat a Diana venatrice prorsus diversam fuisse [1]), Massiliam traductam esse, quo spectat etiam quod secum duxisse ex Ephesio templo Aristarcha fertur *ἀφίδρυμα.* Sed quum primum in nummis, quorum longe plurimi Dianae imagine sunt insigniti [2]), non deae Ephesiae conspiciatur sed Dianae venatricis effigies, deinde autem cum Apolline conjunctam eam videamus, cum quo Diana Ephesia nunquam neque consociata est, nec potuit consociari [3]), Ephesiae Dianae tantum nomen obtinuisse apud Massilienses, cultum longe alium fuisse apparet. Duo igitur sunt, quae jam explicari debeant, alterum, quae Dianae apud Massilienses fuerit forma atque ratio, alterum, si diversa ea fuit ab Ephesia, quid in caussa ponendum, cur Ephesiae deae illa nomen obtinuerit.

---

1) Menetreji symbol. Dianae Ephesiae statua in Gron. thes. Tom. VII. p. 359. Müller V. Cl. Dorier I. p. 388. cf. Paus. II, 2. 5. VIII, 23. 1.

2) Altera numorum eorum parte leonem vulgo excusum videmus, quem Grosson pro universo habet Massiliensium signo. (Mon. Mars. p 25) Sed cur in solis Dianae nummis reperiatur, eo explicari nequit, unde falsum illum esse videmus. An forte leo ex Asiaticis Ephesiae deae sacris a Massiliensibus receptus fuerit?

3) Mülleri V. Cl. Dor. I. p. 389.

Dianae Ephesiae dubitari potest an Phocaeae singularis fuerit cultus, tum quod Ephesum debebant contendere, qui ducem sibi ad condendam Massiliam expeterent, tum quod a Phocaeensibus, navigationibus ac mercatui unice deditis, aliena fuit deae ejus veneratio, quae terrae quidem et animantium foecunditatis in rebus progignendis auctrix putaretur. Contra perquam probabile videtur, Dianam eam cultam esse Phocaeae, quae Dictynnae nomine occurrit. Cujus quidem cultus quum inprimis apud eos Graecorum populos vigeret, qui rei navali summum studium impenderent [1]), ipsisque sanctus esset Phocensibus, quos et ipsos in Joniam migravisse constat, facile exinde potuit Massiliam quoque propagari [2]). Dianae autem Dictynnae nomen inscriptione [3]) legitur Massiliensi: *ΘΕΑ ΔΙΚΤΥΑ ΔΗΜΟΣ ΜΑΣΣ.* Quodsi vero Diana ea ratione culta Massiliae fuisse statuatur, ut Dictynnae congrueret, deaeque marinae specie induta esset, commode potest Apollo quoque Delphinius cum ea consociari, quippe qui et ipse deus fuisse videatur [4]) marinus.

---

1) Müller. Aegin. p. 168.

2) Mem. de l'instit. nat. Literat. Tom. I. p. 170 — 181. Videtur hic cultus, uti judicatum est a viris doctis l. l. ad sacra Cretensia revocandus esse, unde aut Phocidem (Paus. X, 36.) indeque in Joniam (Paus. VII, 2.), aut e Creta statim in Asiam minorem migravit. Nam Miletum certe constat Cretensem initio fuisse coloniam, ibique si non Diana Dictynna, at Apollo tamen Delphinius, conjunctissimus cum illa, colebatur. Mem. de l'inst. p. 179. Müller. Aeg. p. 151.

3) Explicata in Mem. de l'inst. l. l. Müller. Aeg. p. 167.

4) Müller. Aeg. p. 151.

Quod Massiliensis haec Diana vocatur Ephesia, fortassis inde est profectum, quod Ephesiae numen in illa contineri ipsi jam Phocaeenses arbitrabantur. Nam quae veterum populorum inprimis autem Graecorum fuit diversorum deorum eodem nomine consociandorum studium, in Diana quoque Phocaeensium hoc effecisse videtur, ut celebratissimum Ephesiae deae nomen ad Dianae suae, cujus inde vel decus vel gravitatem augeri putabant, cultum traducerent. Ipsum mulieris, quam Dianae sacerdotem elegerant, nomen e cultu depromtum videtur. Certe *Ἀριστάρχειον* sacrum quoddam hujus deae in Elide a Plutarcho Qu. Gr. 47. vocatur. Summo autem honore eam sacerdotem fuisse, inde potissimum apparet, quod aetate etiam sequiori e Phocaea eam arcessere [1]) Massilienses solebant, id quod in gravissimis tantum sacerdotiis fiebat. *Ἔθος γὰρ ἦν,* ut ait Thucydidis scholiastes [2]), *ἀρχιερέας ἐκ μητροπόλεως λαμβάνειν.*

Dianae Ephesiae cultus e Massilia Romam quoque translatus esse a Strabone [3]) perhibetur, ubi in Aventino quidem monte Servii Tullii imperio fanum ejus exstructum erat. Hujus tamen an ista vera fuerit origo, ex iis, quae supra attuli de antiquissima, quae ferebatur, Romanorum ac Massiliensium consociatione, magnopere dubito.

---

1) Memorabilis est, qua *ἀρχιερείας* hujus mentio fit, inscriptio ap. Spon. Miscell. erud. ant. p. 349.: . . . . *ἀρχιέρειαν Ἀσίας νάου τοῦ ἐν Ἐφέσῳ πρύτανιν στεφανηφόρον δὶς καὶ ἱέρειαν Μασσαλίας* . . . .

2) ad Thucyd. I, 25.

3) Strab. IV, p. 180 ibiq. Casaub. Livius I, 45. quamquam copiose ea de re narravit, nullam tamen ibi injecit Massiliae mentionem.

Praeter Dianam Ephesiam Massiliae cultus est inprimis Apollo Delphinius. Eum quidem et ipsum nullus dubito Phocaeensium diis adnumerare. Nam primum nemo ignorat Apollinem omnes Jones in Asia praeter Neptunum pro summo deo habuisse, deinde Delphinium Mileti locum habuisse jam antea vidimus, eundemque etiam aliis in oppidis Jonum adoratum esse, credibile est tum quod a Phocensibus atque Atheniensibus 1) tum quod a Cretensibus eo deferri potuit. Unde eo facilius poterat Phocaeam transferri, quo aptior dens marinus, qualis Delphinius ille Apollo, Phocaeensium fuit studiis. Quid igitur mirum' quod etiam Massiliam cultum istum secum ducebant 2)?

Cum Apollinis Dianaeque sacris Thargelia debent conjungi, festum Apollinis celebratissimum 3). Quod quidem ad Massiliam revocari debet ex hoc Petronii loco 4); „nam Massilienses, quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis et purioribus cibis, hic postea verbenis ornatus et vestibus sacris, circumdabatur per totam civitatem cum exsecrationibus, ut in ipsum recidereut mala civitatis, et sic projiciebatur.“ Thargelia autem Athenis quidem celebrari

1) Plutarch. Thes. 12. 14. 18. Paus. I, 19, 1. Müller. Dor. I. p. 244.

2) In numis plerisque Apollo cum tripode, in aliis cum tauro occurrit, etsi non constat, an imagines cum hoc quidem conjunctae de Apolline intelligi debeant. Certe non habemus, quo taurus ad Apollinem referatur.

3) Meurs. Graec. fer. Θαργήλια (Gron. thes. Tom. VII. p. 787). Müller. Orchom. p. 166. Dor. I. p. 326.

4) Petron. Satyr. c. 141. Serv. ad Virg. A. III, 57.

solebant sexto quoque ac septimo Thargelionis die [1]), quorum priori homo aliquis publico sumptu nutritus tanquam civium piaculum interficiebatur. In quo quis fuerit ritus, locus ostendit Tzetzis (Chil. V. c. 25.), dignissimus ille, qui cum illis a Petronio dictis conferatur:

Ὁ φαρμακὸς τὸ κάθαρμα τοιοῦτον ἦν τὸ πάλαι·
Ἂν συμφορὰ κατέλαβε πόλιν θεομηνίᾳ,
Εἴ τ' οὖν λοιμὸς, εἴ τε λιμὸς, εἴ τε καὶ βλάβος ἄλλο
Τὸν πάντων ἀμορφότερον ἦγον ὡς πρὸς θυσίαν
Εἰς καθαρμὸν, καὶ φαρμακὸν πόλεως τῆς νοσούσης
Εἰς τόπον δὲ τὸν πρόςφορον στήσαντες τὴν θυσίαν
Πυρόν τε δόντες τῇ χειρὶ καὶ μᾶζαν καὶ ἰσχάδας
Ἑπτάκις καὶ ῥαπίσαντες ἐκεῖνον εἰς τὸ τότε,
Σκίλλαις, συκαῖς ἀγρίαις τε, καὶ ἄλλοις τῶν ἀγρίων,
Τέλος πυρὶ κατέκαιον ἐν ξύλοις τοῖς ἀγρίοις,
Καὶ τὸν σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔῤῥαινον εἰς ἀνέμους,
Εἰς καθαρμὸν τῆς πόλεως, ὡς ἔφην, τῆς νοσούσης.

Ex his quidem vix dubito et illa apud Petronium de expianda civitate allata de Thargeliis intelligenda esse [2]).

De caeteris diis Massiliae adoratis fere nihil habemus, nisi nummos et alia quaedam monumenta, quorum tamen admodum dubia est auctoritas. Jovem cultum esse a Massiliensibus,

---

1) Meurs. l. l.

2) Ipsos quoque Phocaeenses Dianae Tauropolae homines immolasse, exprobratur iis ex Pythocle (Voss. hist. Graec. p. 410) a Clem. Al. Protr. I, 3. p. 36 Pott: Φωκαεῖς δὲ, οὐδὲ γὰρ αὐτοὺς παραπέμψομαι τοιούτους, Πυθοκλῆς ἐν τρίτῳ περὶ ὁμονοίας τῇ Ταυροπόλῳ Ἀρτέμιδι ἄνθρωπον ὁλοκαυτεῖν ἱστορεῖ.

asserit Plinius [1]) (H. N. XIV, 1.), Minervam [2]) eamque sedente statua, traditum est a Strabone. Neptuni [3]) imago in numis [4]) reperitur, item Mercurii [5]). Etiam Martem [6]) plures habere nummi videntur. Si monumentis [7]) a Grossonio allatis aliqua est fides et ipsa Cybeles sacra Massiliam translata fuere. Fortasse Floralium, quae memoravit Justinus [8]), nomine intelligi debent Anthesteria [9]), quibus quidem congruunt, quae a Justino de hoc festo traduntur. Hinc simul Bacchi cultus ad Massilienses traduceretur, quod per se satis quidem probabile videtur, quamquam in nummis non inveni, quo Bacchi imago quaeve ad ejus sacra pertinerent accurate excusa essent [10]). Latinae inscriptiones Janum, Saturnum, Jovem, Mercurium, Apollinem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Bacchum, Cybelen, Lunam, Cererem, Dianam, Minervam al. habent [11]). E quibus tamen nihil ad antiquum cultum intelligendum proficitur.

---

1) Grosson. Mon. Mars. p. 136. 137. cf. p. 153. 191.

2) Grosson. p. 130. p. 149.

3) Grosson. pl. 4. Nr. 1. 9.

4) Numos Massiliae nitidissime descriptos vid. in Mus. Hunter. opera Combe p. 190 — 194. cf. Eckhel D. N. Vol. I. p. 68.

5) Grosson. pl. IV, 8. 13. 14.

6) Grosson pl. I. Nr. 9. pl. 3. Nr. 4. Nr. 8.

7) Grosson p. 111. pl. X.; inscr. p. 112.

8) XLIII, 4.

9) Meurs. Graec. fer. (thes. Gron. Tom. VII.) p. 722.

10) Occurrit autem in numis Veliae. Münter Velia p. 26.

11) Bouche chorogr. de Prov. p. 53 sqq.

Dignum fortasse singulari quaestione videtur, quae mutua fuerit Gallorum ac Massiliensium cultuum vis et efficacia. Nam dii quidem Graecorum a Gallis poterant adscisci, eorumque vicissim sacra ad Massilienses traduci. Sed perquam dubia haec res est explicatu, propterea quod dii exterorum populorum plerumque nominibus aut Graecis aut Romanis designari in libris veterum solent [1]). Neque de Gallorum sacris Massiliam delatis quicquam inveni, nisi Ammiani locum (XV, 23.), quo Druidum sacris usos esse Massilienses colligere quis possit. Cui adjici potest Lucan. III, 403.

CAPUT V.

DE MERCATURA.

Quum mercaturae quidem opportunitas tum condendae urbis ansam praebuisset, tum salutem ejus ac florem maximam partem contineret, summum Massilienses ad commercia studium atque industriam contulerunt. Patebat autem tum mare mediterraneum, quo exercerent illa, tum Gallia atque Hispania. Dicatur primum de maritima eorum mercatura, si prius de opificiis rebusque Massiliae productis, quarum in mercando usus esse poterat, monuero.

---

5) Caes. B. G. VI, 17. Quamquam conjectandi quidem libidini latius in hoc genere exspatiari licet. Sic Isidis cultum aliquis vir doctus e Francogallis, demonstrare sibi visus est, per Massiliam ad Gallos et ab iis ad Suevos transiisse. Fontenu in Mem. de l'ac. des inscr. Tom. V. p. 63 — 84.

Ex iis, quae ipsa terra Massiliensium progignebat, ad mercaturam adhiberi non poterant, nisi oleum ac vinum, quo abundasse illa dicitur. Quamquam dubitari potest, an tanta eorum fuerit affluentia, quae evehi ea ac vendi permitteret. Mare circa Massiliam magnam habebat piscium multitudinem, qui tamen ignoramus an mercando inservierint. Contra artibus et opificiis mercaturam magnopere adjutam esse, non est quod dubitemus. Haec enim Massiliae floruisse, praeter veterum locos quosdam [1]) tum numi [2]) declarant tum alia, quae servata adhuc extant, monumenta [3]), etiamsi serius ea atque corruptius aevum prodant. Sunt autem anaglypha, statuae, columnae etc. Exstabant etiam singularia opificum collegia veluti Dendrophororum [4]), qui Apollinem deum habuerunt tutelarem et ad naves aedificandas operam videntur contulisse. Comparari possunt, quae in coloniis Massiliensium v. c. Antipoli fuerunt Utriculariorum, Tignuariorum, Centonariorum collegia [5]). — Rei autem navali Massilienses ita prospexisse, ut egregie instructam eam haberent, pluribus maxime Caesaris ac Arabonis locis apparet [6]). In quo non tantum apparatu nautico eminerunt, sed etiam gubernatorum remigumque dexteritate ac scientia.

---

1) Eustath. ad Dionys. 75. Strab. IV. p. 180.
2) maximam partem argentei.
3) Grosson. Mon. Mars. Sect. II.
4) Inscr. ap. Grosson. p. 273. cf. Papon hist. de Prov. Tom. I. p. 28. 42.
5) Papon p. 39. 48. 54. Calvet dissertation sur un monument singulier des Utriculaires de Cavaillon.
6) Strab. IV. p. 179. 180. Eustath. ad Dionys. 75. Caes. B. C. I, 34. 58. II, 3.

Massilienses satis constat coloniis potissimum in ora Galliae et Hispaniae meridiana conditis, omnem fere per hos quidem tractus mercandi copiam sibi vindicasse. Hoc autem an ita instituerint, ut quod Carthaginienses ac recentiori aevo populi quidam egerunt, coloniarum mercatum omnem ad se traducerent, veterum tacent testimonia. Dubitari tamen vix potest, colonias in Gallia, quippe propiores Massiliae opibusque metropoli longe inferiores, ita subditas ei fuisse, ut possent sane Massilienses sine magna repugnantia tale quid instituere. Haud ita grave fortasse imperium fuit, quod in Ibericas colonias imprimisque Emporias, opulentissimam ac florentissimam urbem haberent, quamquam neque de eo dici explorati quicquam potest. Si de exteris terris quaeratur, quas navibus suis adierint, facile apparet, dum Carthago floruerit, plurium terrarum aditum interclusum iis fuisse, certe earum, quarum Carthaginienses imperium tenerent. Contra latius patuisse mercandi libertatem, quum perdomita esset a Romanis Carthaginiensium potestas. Neque obstat, quo minus omnia, quibuscum mercatus iniri poterat, loca adiisse Massilienses credamus. De plerisque [1]) hoc demonstrari potest, etsi quorumnam singularis fuerit ad mercaturam Massiliensium gravitas, prorsus ignoramus.

Sed alteram exordiamur quaestionem eamque de terrestri Massiliensium mercatura instituendam. Si narrationi illi e Polybio a Strabone [2]) prolatae inhaerere juvaret, quippe qua inter-

---

1) Demosth. in Zenoth. p. 882 Reisk. Cui tamen si fides habenda, mercator Massiliensis, quem oratione hac impugnavit, civium integritatem exemplo suo male confirmavit.

2) Strab. IV. p. 190.

rogati a Scipione Massilienses, Narbonenses, Corbilonenses de Britannia nihil habuisse dicuntur, quod responderent, alienissimos sane et Massilienses et reliquos Gallos fuisse a mercaturae quadam contagione cum aliis populis septentrionalibus certum et exploratum putaremus. Sunt autem haud pauca, quae alia prorsus statni jubeant. Primum enim cogitari non potest, populum eum, cujus omnis paene in mercando posita fuit salus, utilissimam commerciorum cum barbaris instituendorum occasionem praetermissise. Deinde Narbo [1]) et Corbilo [2]) oppida mercatu dicuntur celeberrima. Denique ex ipso Polybio [3]) Hannibal, quum ad Rhodanum fluvium accessisset, magnam navium copiam invenit, quarum ad merces in fluvio deportandas usus spectabat. Ipsi autem Massilienses, qui insulam tenebant, Rhodani ostiis formatam, templum ibi Dianae Ephesiae exstruxerunt [4]), eo fortasse consilio, ut navigantibus in flumine consulerent; reditus vero suos a vectigalibus, quae e fossis Marianis solebant exigere, ita auxisse feruntur, ut de navium, quae illis veherentur, copia et numero inde possit concludi.

Afferenda haec duxi, ut, quae de stanni ac succini mercatu jam explicanda essent, in clariore luce ponerentur. De illo autem haec fere quadrare ad Massilienses videntur. Stannum satis constat inde ab antiquissimis temporibus a Phoenicibus atque Carthaginiensibus mari e Cassiteridis insulis devectum es-

1) Diod. V. p. 361 Wess. Strab. IV. p. 186.

2) Strab. IV. p. 190.

3) Polyb. III, 42.

4) Strab. IV. p. 183.

se [1]). Sed praeter hoc maritimum commercium etiam aliud terrestre fuit, quo stannum in Galliae oram septentrionalem delatum plaustris usque ad Rhodani ostium deportaretur. Patet hoc maxime duobus Diodori locis, quorum alterum [2]), quippe qui inprimis huc faciat, integrum apposui: *πολὺς δὲ καὶ* (sc. *κασσίτερος*) *ἐκ τῆς Βρεταννικῆς νήσου διακομίζεται πρὸς τὴν καταντικρὺ κειμένην Γαλατίαν, καὶ διὰ τῆς μεσογείου Κελτικῆς ἐφ᾽ ἵππων ὑπὸ τῶν ἐμπόρων ἄγεται παρά τε τοὺς Μασσαλιώτας καὶ εἰς τὴν ὀνομαζομένην πόλιν Ναρβῶνα.* Altero loco [3]) *Βελέριον* promontorium commemoratur, cujus incolae stannum fodiant, et quum mare recesserit in Ictin insulam transferant, ubi vendatur indeque ab emtoribus in Galliam traductum, intra triginta dierum spatium usque ad Rhodani ostia devehatur. Ex his a Diodoro traditis apparet simul, stannum quod deportari Massiliam solebat, e Britannia esse petitum. Et partim quidem Massiliam partim Narbonem traductum est. Quod an ipsi Massilienses fecerint, ad liquidum perduci non potest; verisimile tamen, eos et ipsos mercatu isto perductos subinde ad oras Galliae septentrionales venisse.

Electri mercatus quorsum ad Massilienses pertineat, res est explicatu difficillima. Neque enim terra nec mari diserte traduntur Massilienses eam mercaturam exercuisse. Quamquam qui Pytheae putant itinera eum ad finem suscepta esse, ut electrum ille, ubi reperiretur, investigaret, nihil adeo certum habent et exploratum. De his tamen proximo capite videbimus quid sta-

---

1) Heeren Ideen Th. II. Abth. 1. p. 173 — 178. Ukert Geogr. I, 1. p. 151. Strab. III. p. 156.

2) V. p. 361 Wessel.

3) Diod. V. p. 347.

tuendum sit. Nunc mittamus plane, quae de maritimo succinorum commercio suspicari quis possit, utpote quae nihil prorsus habeant in veterum libris, quo confirmentur, contra attendamus ad ea, quae ad terrestrem aliquem illius rei mercatum pertinere videntur.

Electrum jam ipsa Homeri aetate Graecis innotuerat. Hoc enim, non aurum album (*χρυσὸν λευκόν*) tribus illis in locis, quibus ejus fit mentio apud Homerum, intelligendum esse post alios Buttmannus nuper demonstravit. (Abhandl. d. Berl. Acad. 1818 — 1819. Cl. phil. p. 38 — 59) Quod si quaeratur, unde acceperint Graeci, cogitari non possunt nisi Phoenices, quamquam diserte quidem non dicuntur ii a veteribus eam mercaturam exercuisse. Sicuti vero stannum terra quoque devehebatur, sic et ipsum electrum a littoribus Belgiae vel Germaniae ad meridianas plagas deferri potuit; cujus rei pleraque sunt vestigia, in locis potissimum Diodori ac Plinii quaerenda. Ac Diodorus [1]) quidem Basiliam insulam vocat, sitam in Scythia, supra Galliam, ad cujus littus fluctus electrum alluat, quod ab indigenis ad oppositam terram continentem indeque ad plagas meridianas traducatur. Plinius [2]) autem e Pytheae scriptis haec narravit. Pytheas enim prope oram Germaniae septentrionalem, quae per sex millia stadiorum pateret, Abalum insulam comme-

1) Diod. V. p. 347 Wess. *Βασιλεία (τῆς Σκυθικῆς τῆς ὑπὲρ Γαλατίας) εἰς ταύτην ὁ κλύδων ἐκβάλλει δαψιλὲς τὸ καλούμενον ἤλεκτρον, οὐδαμοῦ δὲ τῆς οἰκουμένης φαινόμενον. κομίζεται δὲ ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων πρὸς τὴν ἀντιπέραν ἤπειρον, δι' ἧς φέρεται πρὸς τοὺς καθ' ἡμᾶς τόπους.*

2) Plin. H. N. XXXVII, 11.

moraverat, qua succina ab oceano appellerentur, quae Teutonibus vendi solerent. Cui quidem Timaeus fidem a Plinio dicitur habuisse, praeterquam quod insulam illam Basiliam vocaverit. Diodorus autem quum sua e Timaeo videatur hausisse, Pytheae Massiliensis probabile est hanc totam, quam retulimus de succino fuisse narrationem. Et apparet ex utrisque locis, quibus de maritimo certe commercio sermo non est, viam demonstrari, qua inveniatur electrum terraque in tractus meridionales deferatur. Hoc autem si statuatur, Massiliam facile intelligitur eum locum fuisse, quem inprimis peterent, qui electri exercerent mercatum. Alia, in quibus ejusmodi commerciorum vestigia quaerantur, ut apud Plinium [1]), ubi Transpadanorum feminae monilium vice succina gestare, maxime decoris gratia sed et medicinae dicuntur, et quod in Pseudo-Aristotelis ausc. mirab. electrum ab Adriatico quidem Eridano ad Graecos deferri traditur viaeque, quae ab Hercule nomen duxerit, injiciatur mentio, qua ex Italia ad Celtos, Celtoligyes et Iberos tum Graecis tum indigenis hominibus sine ulla incolarum offensione uti licuerit, dubia quidem sunt auctoritate, at respici tamen possunt, ad rem magis comprobandam [2]). Mirum sane, barbaros ac prorsus incultos homines, qui nec pretium electri satis cognitum haberent, neque omnino mercando essent intenti, ista commercia exercuisse, sed succinorum aut usus aut nitor facile potuit efficere, ut vicissim illi sibi traderent ea et sic vel ad oras remotiores transferrent.

---

1) Plin. XXXVII, 11.

2) Voss alte Weltk. in J. A. L. Z. 1804. p. XXXIII.

CAPUT VI.

DE LITERARUM CULTURA.

Haud exiguum nominis sui decus literarnm Massilia debebat culturae. Quam enim Cicero 1) omnem Graecarum literarum praestantiam praedicavit excepisse, quam Tacitus 2) sedem vocavit ac magistram studiorum, quam Romani 3), qui literis imbui cuperent, ipsis Athenis studiosius petiisse dicuntur, eam urbem in hoc genere excelluisse judicaremus, vel si nulla amplius de civium ingenio monumenta superessent. Quum vero inprimis a capta in bello civili Massilia literae studiosius ibi tractari coepissent 4), e priore tamen aevo plura quoque supersint, quae doctrinis quibusdam singularem Massilienses tum operam dicavisse commonstrent, pro duabus illis aetatibus jam eorum, quae explicanda habeo, ordinem constituam. Quarum quidem priori Massilienses tum grammaticam, quae vocabatur, tum disciplinas mathematicas coluisse videntur. Cujus rei duo sunt argumenta, alterum in Pytheae et Euthymenis studiis positum, alterum in singulari Homeri recensione, quae Massilioticae nomine inprimis in scholiis Venetis commemoratur. Dicam primo loco de Pythea, de quo quae traduntur, certe sunt antiquissima, quae de literarum Massiliensium cultura cognita habeamus.

Qui de Pythea exposuerunt, eorumque magnus numerus est, si librorum ejus et quae de itineribus, quae in septentriona-

---

1) Cic. pr. Flacc. 26.
2) Tacit. Agr. 4.
3) Strab. IV. p. 180.
4) Strab. IV. p. 181.

les terras ab eo suscepta feruntur, ex iis servata sunt apud veteres vestigia accurate ponderare, quam conjecturas ex iis temere saepius depromptas sectari maluissent, haberemus quidem non tam multa de eo disputata, sed quae exstarent, profecto exploratiora essent. Res enim quum multa haberet, quibus hominum devincirentur ingenia, sed eadem esset incertissima et quae conjectandi libidinem cum maxime juvaret, permulti inprimis e Francogallis extiterunt, qui ad illustranda illa Pytheae itinera operam suam conferrent, pauci tamen, qui rem circumspecte et ita uti debebant sine ira et studio examinarent.

Pytheas quum a Polybio ac Strabone 1) finxisse illa itinera et fraudem hominibus imposuisse diceretur, praeter istos autem haud ita multi essent in veterum scriptorum numero, qui mentionem ejus facerent, pro fraudulento homine a plurimis videtur habitus esse, donec recentiori aevo in patria urbe Gassendi 2) potissimum opera memoria ejus ita redintegrata est, ut clariorem simul et celebritatis et honestatis speciem indueret. Pytheam enim quum intelligerent tam accurate latitudinem, quae vocatur, Massiliae gnomonis ad umbram proportione constituisse, ut ad disquisitionum recentiorum ἀκρίβειαν proxime accederet, ipsa quoque de profectionibus ejus prolata majorem eo fidem ac veritatem assequi judicaverunt. Qui Gassendum secuti sunt, Pytheae plerumque ita patrocinabantur, ut quo terrarum venisset, explicarent, inprimis autem de Thule, quam quidem terrarum maxime septentrionalem se assecutum esse professus erat,

1) Polyb. ap. Strab. II. p. 104. IV. p. 201.

2) Gassendi Opera Tom. IV. ed. Flor. p. 570.

multa eaque saepe numero peracute disputarent. In iis numerari debent, praeter historiae literarum [1]) Francogallicar. enarratores inprimis Bougainville [2]) et d'Anville [3]). His tamen longe accuratius versatus est initineribus Pytheae explanandis Murrajus [4]), qui singulari commentatione rem ita tractavit, ut e Pytheae librorum fragmentis Europae septentrionalis formam, quantum fieri id poterat, describeret, ex eaque comparata scilicet cum veterum geographorum placitis Pytheae fidem exploraret. Eandem fere rationem initam videmus a Gosselino [5]), sed qui perinde ac Murrajus eo adductus est, ut Pytheae fidem, defensam adhuc a viris doctis valde suspectam haberet. Ante eum Mannertus [6]) sed minus accurate, de Pythea disputaverat, et post eum Ukertus [7]), a quo congesta sunt, quae apud veteres de illo deprehendantur, sana eorum crisi adhibita. Denique novissimis temporibus opera commemorari debet Wilhelmi [8]), cui tamen, Pytheam acriter defendenti, nisi fidem habeas ob disputandi qua usus est confidentiam, in his rebus vix obsequi possis.

Gravissimi hi sunt quos adhuc commemoravi, de Pythea auctores. Praeter eos quamquam alii multi poterant recenseri,

---

1) Histoire lit. de France Tom. I. p. 71 sq.
2) Eclaircissemens sur l'origine et sur les voyages de Pythéas de Marseille; Mem. de l'ac. des inscr. Tom. XIX. p. 146 sq.
3) Mem. de l'ac. des inscr. XXXVII. p. 436 sq.
4) Nov. Commentar. soc. Gott. Tom. VI. p. 59—98.
5) Recherches sur la géographie syst. Tom. IV. p. 162—169 et alibi.
6) Geogr. d. Gr. u. Röm. I. p. 71—85.
7) Geogr. I, 1. p. 112. I, 2. p. 298 sq.
8) Germanien u. seine Bewohner. Vimar. 1823. p. 317 sq.

tamen omittendos eos duxi, quippe qui doctrina et accuratione prioribus illis cederent, neque in tanta scriptorum copia studiosius a me tractari possent [1]). Eam vero viam ineundam mihi esse putavi, ut primum de vita Pytheae et scriptis, tum de itineribus, adjunctis quidem iis, quae alioquin in mathesi et physica fertur praestitisse, exponerem, denique ex itinerum illorum ratione fidem ejus examinarem.

Pytheas Massiliensis vixisse videtur circa Alexandri M. aetatem. Hoc inde colligitur, quod a Dicaearcho, Aristotelis discipulo primum commemoratur, ita ut nec multo post Alexandrum nec longe ante eum degerit, quamquam etiam de hac re virorum doctorum sententiae valde discrepuerunt [2]). De vita Pytheae nihil constat. Nam quod a Polybio [3]) asseritur, res ejus valde angustas fuisse, dixerat ille ea de caussa, ut opes non suppetiisse ei demonstraret, quae tam longorum, qualia se suscepisse jactavisset, itinerum sumtus suggererent. In mathesi et astronomia singularem eum operam posuisse, pluribus constat, quae a veteribus e libris ejus laudantur, ac multum eum in hoc genere profecisse, maxime eo apparet, quod ipse Strabo [4]), Pytheae alioquin infestissimus, quae in eo statuerit, verius eum ac caetera disputavisse concessit, aliique geographi Eratosthenes atque Hipparchus e Pytheae libris multa depromserunt. Plures libros perscripserat, sed interierunt omnes, vix fragmentis quibusdam relictis, quae a diversis scriptoribus inprimis a Strabone

---

1) Vid. eos ap. Ukert. Geogr. I, 2. p. 298. 299 not. Murray p. 60.

2) Bougainville p. 163. Murray p. 61. Ukert p. 299.

3) Strab. II. p. 104.

4) Strab. IV. p. 201.

relata habemus. E quibus trium scriptorum tituli adhuc restant: orbis periplus [1]), terrae periodus [2]) ac de oceano liber [3]), nisi priora illa idem opus effecerunt. Ex iis, quae de Pythea traduntur, nihil juvaret singula singulis libris accensere, id quod ne fieri quidem nisi cum temeritatis opprobrio posset. Satius igitur est, pro argumenti diversitate illa sejungere, ita ut primum de itineribus Pytheae ac de iis disputetur, quae de Europa septentrionali exposuerat, tum adjiciantur, quae in mathesi aut physica ab eo inventa esse dicuntur.

De Pytheae itineribus quae tradita sunt a Strabone, is quidem ex Eratosthene potissimum atque Hipparcho hausisse videtur, quamquam ipsa quoque Pytheae scripta ei suppetiisse dubitari non potest. At ne dignum quidem eum habuit, quem pariter atque alios geographos peculiariter refelleret, sed obiter tantum et ut aliorum, qui fidem illi habuerant, aperiret errores, de eo disputavit. In fide autem narrationum Pytheae examinanda magnopere cavendum est, ne ad ipsam rerum nostra aetate exploratarum veritatem Pytheae placita referamus, sed quae Eratostheni fuit ac Hipparcho orbis terrarum imago, ei illa accommodemus.

Quae a Strabone [4]) ex Eratosthene afferuntur, Pytheam promontorium indicavisse Ostidamniorum, Calbion quidem vocatum, in cujus vicinia insulae sitae fuerint, quarum proxima Uxisama

1) Artemid. ap. Marcian. Heracl. p. 63. Murray p. 70.
2) Apoll. Rhod. IV, 761.
3) Gemin. in Petav. Uranol. p. 22.
4) Strab. I. p. 64.

triduae navigationis intervallo abfuerit, Strabo ad boreales Galliae partes traducenda esse judicavit, nisi pro meris essent Pytheae commentis habenda [1]). Huic autem manifestus error eo exprobratur, quod nec insulae reperiuntur, quas designavit, nec spatium, quo distare illud promontorium ab Herculis columnis censuit, recte ab eo indicatum est, immo, quod accurate explicavit Murrajus [2]), intervallum nimis amplum posuerat. Idem efficitur, si e computatione Murraji quinque dierum navigationem, quam a Gadibus usque ad promontorium sacrum emensus esse dicitur, cum tridua Artemidori Ephesii, qui has oras ipse visit, navigatione, proxime quidem ad veritatem accedente, comparaveris. Ad Galliam vero si illud Ostidamniorum promontorium insulasque in ejus vicinia sitas, quod visum est nonnullis, vellemus referre, Strabonis de iis sententiam, non Pytheas quae tradidisse fertur, explicaremus. Nec possunt, id quod in mentem venit Murraio, insulae ac promontorium intelligi, quod hodie vocant Cabo da Rocca. Pauca quaedam a Pythea de ora Hispaniae et Galliae septentrionali tradita v. ap. Murraium p. 77. Gosselin p. 62.

Plurima, quae ex itineribus Pytheae servata nobis sunt, pertinent ad Britanniam et quam ab ea quidem sex dierum navigatione versus septentrionem abesse dicebat Thulen, mari quidem congelato propinquam [3]). Ex Polybio [4]) Pytheas totum

1) cf. promontorium Oestrymnon et insulae Oestrymnides ap. Fest. Avien. Or. Mar. 86.

2) Murray p. 76. 3) Strab. I. p. 63.

4) Strab. II. p. 104.: ὅλην μέντοι Βρετανικὴν ἐμβατὸν καὶ ἐπελθεῖν φάσκοντος, τὸ δὲ περίμετρον πλειόνων τεττάρων μυριάδων ἀπο-

Britanniae ambitum, qui quadraginta millia stadiorum ipso auctore excederet, in itinere se emensum fuisse dixerat, quo facto de Thule narraverat, ubi neque terra, nec mare, nec aër reperiretur, sed quod mixtum esset ex his omnibus, pulmoni marino simile, quo terra et mare et alia omnia suspensa tenerentur; hoc autem universum quasi colligari, neque euntibus neque navigantibus pervium id esse. Quod quidem se ipsum vidisse, de caeteris se referre, quae ab aliis acceperit. Ex his autem regionibus reducem totam in oceano Europae oram a Gadeira usque ad Tanaïn praetervectum se esse [1]). Hoc tamen Strabo [2]) omisisse eum dixit, num Thule insula esset, necne, ac terra eo usque incolas haberet, quo cum arctico tropicus circulus congruere videretur. Quod quidem ad Thulen pertinere Pytheas asseruerat, quippe ubi sex menses et noctes et dies perdurent [3]). Geminus [4]) Pytheam, libro ejus de oceano laudato, narrasse perhibet, barbaros locum monstrare, quo sol cubitum eat [5]). Ibi vero per duas tantum tresve horas noctem durare, ita ut non multo post occasum sol oriatur. Cleomedes [6]) de rebus,

---

δόντος τῆς νήσου. Murray p. 78, qui non totam Britanniam Pytheam dicit circumnavigasse, Latinam in eo Xylandri versionem secutus, egregie falsus est.

1) Casaub. ad Strab. I. p. 63. 2) II. p. 114.

3) Plin. II, 21. cf. II, 16.

4) Phaenom. p. 22. Petav. Uranol.

5) Simili modo Cosmas (ap. Montfaucon collect. patr. p. 149) Pytheam dixit tradidisse in libro de Oceano, barbaros locum significasse, quo sol cubaret, ubi scilicet noctes perpetuae essent.

6) cycl. theor. I, 7.

quae in septentrione apparerent, locutus, Pytheam dicit in Thulen insulam pervenisse; ibi totum tropicum circulum supra horizonte conspici, quumque sol in cancerum processerit, diem per mensem unum durare. Apud Strabonem (IV. p. 201) Thule pro terra habetur maxime septentrionali, de qua quae percrebuerint, valde sint obscura. Pytheas quae disputaverit de ea, commenta esse, licet res in coelo apparentes et rationes mathematicas recte indicavisse videatur. Veritatis quoque speciem habere, quae dixerit de bestiis plantisque, quarum multae illis in oris aut omnino deficiant, aut rariores sint. Milium herbasque silvestres et radices nutrimento hominibus inservire, nonnullos melle quoque vesci eodemque ad potandum uti. Frumenta vero, quum nubium densitatem solis radii rarius perfulgeant, in magnis aedificiis, quo spicae deferrentur, tundi et asservari. Hipparchus [1]), quem multa constat e Pythea desumsisse, hoc quoque ei debebat, quod centum et novem millium stadiorum intervallo inde a Massilia versus septentrionem diem solstitii tempore octodecim horas complecti dixerat.

His adjiciamus, quae de Germaniae littore septentrionali a Pythea exposita habeamus. Ac Strabonem [2]) quidem si primum audiamus, nihil ille habet in hoc genere, quo Pytheae auctoritatem loqueretur. Immo terram ait, ab Albi versus orientem incognitam esse; neminem enim adhuc usque ad ostium maris

---

1) Strab. II. p. 71. 115.

2) VII. p. 291. cf. Strab. I. p. 63: *καὶ τὰ περὶ τοὺς Ὠστιαίους δὲ, καὶ τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου τὰ μέχρι Σκυθῶν, πάντα κατέψευσται τῶν τόπων.*

Hyrcanici pervenisse, neque Romanos Albim expugnando transgressos esse. Contra memoratu perquam digna sunt exposita quaedam a Plinio [1]): „ex quibus ante Scythiam, quae appellatur Rauronia, unam insulam abesse diei cursu, in quam veris tempore fluctibus electrum ejiciatur, Timaeus prodidit. Reliqua littora incerta signata fama. Septentrionalis oceanus, Amalchium eum Hecataeus appellat, a Paropamiso amne, qua Scythiam alluit, quod nomen ejus gentis lingua significat congelatum. Philemon Morimarusam a Cimbris vocari; hoc est mortuum mare, usque ad promontorium Rubeas, ultra deinde Cronium. Xenophon Lampsacenus a littore Scytharum tridui navigatione, insulam esse immensae magnitudinis Baltiam tradit. Eandem Pytheas Basiliam nominat." Huic loco alium [2]) subjungamus: „Pytheas Guttonibus Germaniae genti accoli aestuarium Oceani, Mentonomon nomine spatio stadiorum sex millium: ab hoc diei navigatione insulam abesse Abalum: illuc vere fluctibus advehi et esse concreti maris purgamentum; incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximisque Teutonibus vendere. Huic et Timaeus credidit, sed insulam Basiliam vocavit." Apparet ex his locis, Pytheam (de Massiliensi vero cogitandum esse dubitari non potest) de iis Germaniae locis disseruisse, quibus electrum maxime reperiretur, cujus rei si ratio habetur, Mentonomon aestuarium probabile est, ad sinum maris, quem vocant hodie „frisches Haff" referre, quod quidem jam Cluverio in mentem venit, quamquam quum ista sex millia stadiorum consociare eum hoc aestuario non posset, sexcenta intelli-

1) IV, 27. 2) Plin. XXXVII, 11.

genda esse judicavit. Est autem omnis istorum locorum Plinii explicatio tam impedita, ut ad hodiernum quidem terrarum situm traduci vix possit. Neque certo potest affirmari, an Plinius ubique Pytheae verba et intellexerit accurate et retulerit.

De profectionibus autem Pytheae ut recte judicemus, addantur necesse est, quae caeteroquin in mathesi fertur et astronomia praestitisse. In quo maxime est insigne, quod Massilia ille quo distet ab aequatore, intervallum e gnomonis ad umbram proportione accurate, ut tum fieri poterat, indagavit [1]. Proportionis illius pro terrarum, quae aut ad septentrionem aut ad meridiem vergerent, situ diversitatem, jam Anaximenes observaverat [2], Pytheam vero hac re, quam satis incertam esse constat, accuratissime usum fuisse, intelligitur eo, quod quae recentiori aevo v. c. Gassendus de latitudine Massiliae observaverat, veritatem eum prope assecutum esse demonstrent. Ex ipsa Ionia credibile est, illam rationem Massiliam esse delatam.

Aliud, quod investigasse Pytheas dicitur, pertinet ad aestum maris ac recessum, cujus causam in lunae vel *πληρώσει* vel *μειώσει* quaesivit [3]. A Plutarcho autem, cujus ego attuli locum, quum non aperiatur, qua ille ratione a luna maris aestus deduxerit, neque habeamus praeter eum, unde accuratiora possint

---

1) Gosselin Recherches sur la géogr. syst. IV. p. 60. 68.

2) Ukert Geogr. I, 2. p. 179. 180.

3) Plutarch. de plac. phil. III, 17. p. 93 Cors.: Πυθέας ὁ Μασσαλιώτης τῇ πληρώσει τῆς σελήνης τὰς πλημμύρας γίνεσθαι, τῇ δὲ μειώσει τὰς ἀμπώτιδας.

cognosci, magnopere illud fluctuat, quod ut et ipsi Phoenices [1]) intellexerant, distinguendum est inter quotidianos, menstruos et annuos maris aestus [2]). — Praeterea coeli polum ita constituit, ut non una stella polari, sed tribus aliis assumptis, inter quas medium ille locum teneret, eum designari putaret [3]).

A Graeco Apollonii Rhodii interprete [4]) traditum est e Pytheae libris, in Lipara ac Strongyle insulis si quis ferrum rude deposuerit, postridie eum instrumentum invenire, quod confici cupierit. Talia autem an pro veris habuerit Pytheas, non constat.

Iam si de itinerum Pytheae fide quaeratur, inprimis duo sunt spectanda, primum num ita de iis potuerit explicare, si terras, quas dixit, reapse adierat, tum an aliorum narrationibus accipere potuerit, de quibus in libris suis exposuerat.

Stadiorum numerum in plerisque, quae se emensum esse dixit, spatiis Pytheam fefellisse videmus. Patet hoc tum ex iis, quae de illo Ostidamniorum promontorio exposuimus, tum e Britanniae ambitu, quem duplo majorem constituit, denique illo aestuario, in ora Scythiae vel Germaniae per sex millia stadiorum porrecto. Hoc tamen quo excusent qui Pytheae bene cupiunt, habent tum in stadiorum diversitate, tum in eo, quod in emetienda navigatione veterum, ipsis imprudentibus, facilis error fuerit [5]). In his autem quo minus acquiescamus, impedit et

1) Strab. III. p. 173. 174. cf. Solin. 23. Etym. M. p. 86 Sylb.
2) Ukert Geogr. II, 1. p. 81.
3) Hipparch. ad Arat. Phaenom. p. 179 in Petav. Uranol.
4) Schol. Apoll. IV, 761.
5) Ukert Geogr. I, 2. p. 58 sq.

accuratior, qua instructus erat Pytheas, mathesis cognitio et errorum, quibus lapsus est, gravitas. Si, quod visum est nonnullis et accipi debet, quum iter suscepisse Pytheam dicimus, maria ita longinqua tentaverat, eo fine, ut terrae cognitionem amplificaret, et poterat et debebat diligenter curare, ut spatia accurate computaret, itaque ab erroribus sibi caveret, in quos incidisse eum intelleximus.

Eratosthenes atque Hipparchus de septentrionali Europa e Pythea multa depromsisse dicuntur, unde probabile est, quae de Britanniae forma statuerunt, ea et ipsa ex illius libris hausta esse. Sed veriorem eam puto Pytheam indicaturum fuisse, si ambitum insulae ipse legisset. Simul lapsus est, quod maris aestus supra Britanniam ad octogenos pedes exsurgere contendit, quamquam et hunc errorem Pytheae patroni excusare magnopere laboraverunt [1]).

De Thule quae tradita ab eo sunt, vix potuit ita proferre, nisi vel e suis ipsius commentis vel aliorum confabulationibus. Nam quo defendere eum solent, maxime ii, qui Islandiam opinantur Pytheam assecutum esse, quippe quod circulum arcticum ac tropicum unum fieri ac per dimidiam anni partem noctem diemque durare indicaverit, hoc ille etiam Massiliae commode exquirere poterat. Quum enim cognitum esset, dies, quo magis ad septentrionem terrae vergerent, eo illos quidem longiores fieri, facilis inde conclusio fuit, terram statuendam esse, qua omne diei ac noctis discrimen per dimidium quemque annum prorsus tolleretur. Quod ubi fieret, ibi circulum quoque

1) Plin. II, 99. Murray p. 82.

arcticum cum tropico concidere [1]), quae tum fuit mathesis sive astronomiae ratio idem demonstrari potuit. Unde mirum certe usque mihi visum est, viros doctos tam gnaviter egisse, ut terram, cui Thules nomen assignaretur, explorarent. Speraverant videlicet, ea quidem exquisita dubia omnia de itinerum Pytheae veritate se sublaturos esse, in quo quum simul ingenii ostentandi copia daretur, nihil reputaverunt, nisi spatia quemadmodum consociari, et paucis iis, quae adhuc supersunt, a Pythea traditis aptari possent.

Non exploratiora sunt, quae Pytheas post reditum a Thule se legisse usque ad Tanaïm flumen professus est Europae littora. Ac Plinius fortasse quae significavit, e Pytheae scriptis minus accurate depromsit, sed vix poterat tantos labores facessere viris doctis, qui ad veram terrarum in mari Baltico rationem traducere illa susceperunt, si accuratius ea in libris Pytheae consignata invenisset. Nam ut nunc sunt de maris Baltici oris Pytheae placita, e fluxis potius aliorum rumoribus, quam ex ipsis factis ab eo in illas regiones profecto disquisitionibus provenisse videntur.

Sed jam alteram illam quaestionem excutiamus, qui potuerit fieri, ut acciperet Pytheas, quae in libris suis exposuerat. In quo recurrendum inprimis est ad ea, quae de mercatura supra disputavimus. Haec enim fecisse videtur opportunitatem, qua tum de Britannia, tum de Germaniae septentrionali littore possent rumores Massiliae percrebrescere. Ac Pytheam quidem, quum libros suos conficeret, nihil praetermisisse, quo plura posset de terris aut maribus, de quibus explicaturus erat, ex-

1) Ukert Geogr. I, 2. p. 143. 181.

plorare, non magis constat, quam mathesis et astronomiae cognitione in eo perquam eum adjutum esse.

Superest, ut quae alioquin aut obmoveri possint iis, qui Pytheae ita longinqua itinera admittunt, aut sententiae a me adoptatae patrocinari videantur, expromam. Pytheam vulgo dicunt missum esse a Massiliensibus, ut stannum et electrum ubi terrarum reperiretur, exploraret. Primum tamen neque necessarium illud est ex iis, quae de mercatura supra diximus, neque deinde vel mentio injicitur ejus rei ab ullo scriptore, vel itineris ratio ita comparata fuit, ut id consilium ei fuisse appareat. Tunc enim qui opus fuisset, ut in Thulen vela daret? Neque est, ut ad terrae cognitionem amplificandam Massiliensis respublica Pytheam hoc iter suscipere jusserit. Quod si statuatur, fieri non potuit, quin quae ex ejusmodi publica profectione consecuta fuerint, in ipsius quoque populi ore essent. Neque exinde Polybium, quem Galliam ipsum adiisse constat, adeo incredulum habuissent. Comparaverunt nonnulli Pytheae atque Euthymenis, de quo mox explicabitur, itinera cum Hannonis et Himilconis, quas Carthaginiensium suscepisse iussu dicuntur, expeditionibus, in quo tamen reputari debet, alio de fine coloniarum quippe condendarum caussa missos illos a civibus suis fuisse.

Pytheae, quem facile etiam largimur, itineribus vel in Ibericas Massiliensium colonias, vel aliorsum susceptis multa accuratius esse edoctum, in libris suis hoc videtur consilium fuisse, ut quae de Europa boreali comperta haberet, colligeret et in unum consociaret. Ex his autem quum plenam quidem et accuratam septentrionis descriptionem contexere nequiret, commo-

dius ea tradere vix poterat, quam redactis iis in itinerarii formam, cui ut majorem etiam fidem adjiceret, sive alia de caussa, se ipsum, quae describebat, loca adiisse asseruit. Quae si ita statuuntur, non opus est, ut quod Polybio ac Straboni visum est, fidem omnem Pytheae detrectemus, immo pleraque, aut ab aliis accepta aut ipsius ingenio excogitata recte proferre poterat.

Cum Pythea comparari solet, qui ejus aevo 1) vixisse videtur Euthymenes, a Marciano Heracleota in iis numeratus, qui *περίπλους* conscripserint 2). Si quid ex iis, quae de Oceano ac Nilo exposuisse fertur, concludere licet, Africae oram inde a columnis Herculis in libro suo adumbraverat 3). Cui tamen prope omnes qui Euthymenem commemorarunt, magnopere sunt diffisi, inprimisque impugnaverunt quae de Nilo caussaque, e qua inundationes ejus proficiscerentur, disseruerat. Nilum enim dixerat ex Oceano, qui dulcem haberet 4) aquam, exortum etesiis

1) v. Aristid. Orat. p. 353 ed. Jebb.

2) Ukert Geogr. I, 1. p. 235.

3) Senec. N. Q. IV, 2 „Euthymenes Massiliensis testimonium dicit: navigari, inquit, Atlanticum mare.“ Plutarch. de plac. phil. IV, 1. p. 97 ed. Cors.: *Εὐθυμένης ὁ Μασσαλιώτης ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ, καὶ τῆς ἔξω θαλάσσης, γλυκείας κατ' αὐτὸν οὔσης, νομίζει πληροῦσθαι τὸν ποταμόν.*

4) Id quod ei Aristides (p. 355) vehementer exprobravit, quia eorum, qui Herculis columnas navigando excesserint, nemo tale quid asseruerit. — Caeterum undas Oceani meridialis quum coqui a sole e veteribus quidam censerent, inde profecta est illa de earum dulcedine opinio. Ukert Geogr. II. p. 68.

ita impelli, ut undae ad fontes retruderentur, iis autem remissis fluvium intra alveum se continere non posse, sed in campos vicinos excedere. At ne primus quidem hoc protulerat, sed ante eum extiterant, qui similia contenderent. Praeterea de eo nihil constat, nisi quod Euthymenes quidam a Clemente Alexandrino de chronologia scripsisse fertur.

Alterum illud, quod Massilienses jam ante bellum cum Caesare ad literas colendas contulisse dicebam, e studiis potissimum cognoscitur, quae in emendando et expoliendo Homero collocaverunt. Quum enim in scholiis ad eum poetam inprimis in Venetis, quae vocantur, plures *διορθώσεις* memorentur, factae quidem, uti videtur, ante Zenodoti tempora, in sex illis, quae ab oppidis terrisve, ubi exortae sunt, duxerunt nomina, etiam recensio est Massiliotica. Ex qua quae aetatem tulerunt, viginti sunt lectiones, unde tamen nihil fere est, quo aut ejus recensionis indoles, aut grammaticorum Massiliensium studia accuratius perspiciantur. Advecta illa *διόρθωσις* est Alexandriam, ubi in bibliotheca reposita patriae nomen accepit. Huic rationi, a F. A. Wolfio [1]) prolatae, et ipse nullus dubito adstipulari.

Post eversas Massiliensium opes, quum omne eorum studium in pacis artibus exercendis versaretur, intentiore etiam cura literas ii tractaverunt. Falleremur autem, si eam culturam tum Massiliae floruisse crederemus, quae nativo quodam ingenii vigore ac virtute enascitur. Videtur potius tota ad ea studia pertinuisse, quae in usum vitae traduci poterant, aut universe ad vitam elegantiorem spectabant. Haec recte nos statuisse, hoc inprimis jam afferendo Strabonis loco [2]) apparebit,

1) Wolf Proleg. in Hom. p. CLXXV. 2) IV. p. 181.

dignissimo quidem, quem in hac quaestione respiciamus: *πάντες γὰρ οἱ χαρίεντες πρὸς τὸ λέγειν τρέπονται καὶ φιλοσοφεῖν· ὥςθ' ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρότερον τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευτήριον, καὶ Φιλέλληνας κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥςτε καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιστὶ γράφειν· ἐν δὲ τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν, ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν φιλομαθεῖς ὄντας. ὁρῶντες δὲ τούτους οἱ Γαλάται, καὶ ἅμα εἰρήνην ἄγοντες, τὴν σχολὴν ἄσμενοι πρὸς τοὺς τοιούτους διατίθενται βίους, οὐ κατ' ἄνδρα ἀλλὰ δημοσίᾳ. σοφιστὰς γοῦν ὑποδέχονται τοὺς μὲν ἰδίᾳ, τοὺς δὲ αἱ πόλεις κοινῇ μισθούμεναι, καθάπερ καὶ τοὺς ἰατρούς.* Rhetorica igitur, philosophia ac medicina inprimis fuerunt, quibus Massilienses studia sua dicarent, quae quidem ut magis etiam adjuvarentur, sumtibus publicis praeceptores illarum disciplinarum (hos enim liquet sophistarum nomine intelligendos esse) aluerunt [1]). Hoc enim quamquam a Strabone de Gallis praedicatur, dubitari tamen non potest, e Massilia ad eos transiisse. Fuerunt autem plerique Massilienses inprimis rhetorici ac medici, Romae deinde inclarescentes, qui huc e Massilia immigrarent. Neque Graece tantum sed etiam Latine docuisse videntur. Unus eorum L. Plotius quum Romam concessisset, Romanos Latina quoque lingua erudivisse dicitur [2]).. De singulis viris, qui Massiliae aevo illo floruerint, nolui jam uberius explicare, tum quod, quae universe de iis diximus, fere ad plurimos quadrant, tum quod

1) Casaub. ad Strab. l. l.

2) Quintil. II, 4. Hist. lit. de France Tom. I. p. 83. In iis, qui tum temporis Massiliae doctrinae laude inclaruisse feruntur, maxime commemorari debent: L. Plotius, Oscus, Agrotas caet. In medicorum numero inprimis memorabiles sunt Crinas et Charmis, de quibus v. Plin. XIX. p. 5 Bip.

ne multum quidem vel jucunditatis vel utilitatis ejusmodi explicatio contineret. Praeterea in historia literarum Francogall. studiose jam collata habemus, quae in veterum libris de iis occurrunt.

Ex his quidem simul intelligi potest, quid sit illud, quod de Massiliensium academia praedicatur. Quum enim et doctores essent, publice constituti et conveniret Massiliam hominum multitudo, qui illorum disciplina uterentur [1]), potuit satis commode de academia Massiliensi eo sensu disputari.

Galliae gentes quamquam initio quidem rudes ad culturam Graecorum, sequiori aetate Massiliensium exemplo literarum studia et ipsi amplecti coeperunt. Jam ante Caesarem ad *συμβόλαια* scribenda Graecas literas adhibebant [2]); et in castris Helvetiorum constat tabulas repertas esse, in quibus Graecis literis eorum numerus consignatus erat. Quamquam primum quidem Druides literarum usum repudiasse videntur, quippe qui disciplinam suam memoriae unice mandarent. Post Galliam vero Romanis subactam, literarum cultura ea cepit incrementa, ut in provincia quidem pleraeque scholae exorirentur, ubi et traderentur literae, et certamina literaria haberentur.

De dialecto Massiliensium nihil fere est, quod explicari possit, etsi perquam optabile hoc esset, quum integris ejus vestigiis servatis de dialecti Jonicae diversitate ab Herodoto [3]) indi-

---

1) In iis C. Julius Agricola, quem e Tacito constat juveniles annos Massiliae transegisse.

2) Caes. B. G. I, 29. VI, 14.

3) Herodot. I, 142.

cata, colligi aliquid posset. Quod trilinguem Varro [1]) Massiliam vocavit, hoc quid sibi velit, nemo est, quin statim intelligat, praesertim quum quod Walchio [2]) et Johansenio [3]) tot scrupulos injecit, illud „divisa" apud Cic. pr. Flacc. 26 rectissime possit „sejuncta" significare [4]).

CAPUT VII.

DE COLONIIS MASSILIENSIUM.

Coloniarum mercaturae caussa conditarum duplex potissimum genus est, prout aut damnosae illae sunt metropolis commercio aut prosperae et opportunae. Ad alterum genus eae pertinent coloniae, quae tum quod longius distant a metropoli tum quod ditiores ac potentiores sunt factae, illius imperio non ita possunt coerceri, quin suo potius quam patriae urbis commodo prospiciant, ad alterum coloniarum genus eae sunt referendae, quarum mercatura ita comparata est, ut tota ad metropolis utilitatem composita esse videatur.

Massiliensium coloniae, quarum totum in mercatura positum fuit consilium, si quaeratur, cuinam generi accenseri debeant, jam in mercaturae eorum explicatione dictum est, ad posterius fere genus pertinere certe colonias in Gallia conditas, quippe quae commerciorum cum Gallis et securitatem et quasi

1) ap. Hieronym. praef. lib. 2 comm. in ep. ad Gal. et Isidor. Origg. XV, 1.

2) Acta soc. Lat. Jen. Vol. III. p. 115.

3) Johans. Massil. p. 89.

4) v. Liv. XXXIV, 8.

privilegium, ut barbara hac voce utar, Massiliensibus conservarent. Coloniis enim suis hoc assecuti sunt Massilienses, ut meridionalem quidem Galliae oram paene totam obsessam tenerent, ita ut qui in commerciorum suorum societatem sese intrudere tentarent, eorum conatus facile possent prohibere.

Quod in more positum erat coloniarum Graecarum, ut qui in metropoli maxime colerentur dii, eos et ipsae coloniae tutelares haberent, etiam in oppidis, quae originem a Massilia ducebant, evenisse apparet. Quas quidem Dianae Ephesiae cultum atque sacra accepisse, tum Strabone docemur, tum eorum numi demonstrant. Et quum neque fieri posset, ut ab origine sua aliam adsciscerent civitatis formam, quam quae in metropoli invaluerat, neque intima aliqua societas esse posset inter eas Graecorum civitates, quae reipublicae forma a se discreparent, eadem quoque, quam Massiliae deprehendimus, in coloniis statui debet reipublicae ratio.

Singulae Massiliensium coloniae quando constitutae fuerint [1]), exquiri vix potest. Plerasque tamen ex iis antiquissi-

1) Satis probabilia sunt, ea de re quae disputavit Raoul-Rochette Tom. III. p. 416. „La plupart de ces colonies doivent cependant être rapportées au temps où, affermis dans la possession de leur pays et vainqueurs des ennemis du dehors, ils purent sans danger répandre hors de leur sein l'excédant devenu inutile de leur population; c'est ce qu'assurent Ammien Marcellin (XV, 9.) et Justin (43, 3.) et ce que la vraisemblance seule nous porterait à croire, indépendamment de leurs témoignages. Strabon dit (IV. p 179.) qu' habitans d'une contrée plus propre à la culture de la vigne et de l'olivier qu'à celle du blé, ils cherchèrent

mas fuisse inde apparet, quod nonnullae, alioquin Massiliensium nomine insignitae, etiam a Phocaeensibus conditae esse feruntur. Harum vero imperium Massiliam sibi arrogavisse dubitari non potest, quum omnis Phocaeensium in his locis potentia ad Massilienses traduceretur.

Coloniae a Massiliensibus in Hispania conditae, a quibus exorsi in hac quaestione ad Gallicas pergemus describendas, ad eam tantum orae meridionalis partem pertinent, quae a Pyrenaeo monte usque ad novae Carthaginis pagum porrigitur. Fines enim in hac ora quominus ulterius prolatarent, a Phoenicibus atque Carthaginiensibus, qui mercaturam in reliqua littoris parte sibi vindicaverant, prohibiti esse videntur. Si meminerimus, quae de Phocaeensium navigationibus Herodotus exposuit, perquam probabile est, eos jam ante relictam Persis urbem sedes ibi commerciorum constituisse. Quas postea Massilienses, Hispaniae praesertim multarum rerum 1) foecunditate invitati, ita auxerunt, ut plura ibi exsisterent eorum oppida, quorum haud contemnenda esset opum divitiarumque copia.

---

de bonne heure à s'enrichir par le commerce et par les expeditions maritimes. Devenus puissans, poursuit ce judicieux écrivain, ils bâtirent des villes qui outre les avantages qu'elles leur procuraient pour le commerce, leur servaient de remparts contre les Ibériens et les barbares fixés sur les rives du Rhône, et dominaient suivant l'expression de Tacite (Agr. 16.) comme autant de citadelles sur le pays ennemi."

1) Maxime huc pertinet spartum, quo quum ad linum conficiendum uterentur Emporitani, λινοῦργοι a Strabone sunt dicti. Praeterea etiam sale abundabat, Massilienses quam tenebant, Hispaniae ora.

Quinque commemorantur in Hispania Massiliensium coloniae: Emporiae, Rhoda, Alone, Hemeroscopium ac Dianium. Quarum et maximam et opulentissimam Emporias tradunt fuisse. De qua quae ad notitiam nostram pervenerunt, praeter alios scriptores, qui ejus mentionem injecerunt, maxime hauriuntur e Livio, Strabone ac nummis, quorum magna copia reperitur [1]). Spatio CCCC stadiorum a Pyrenaeo monte oppidum distare, situm in ostio fluminis, quod portum efficiat, Strabo (p. 160, B.) perhibet; idem, primum exstructum id esse in insula terrae vicina, in qua quidem quae adhuc sit pars oppidi παλαιὰ πόλις nuncupetur. Serius exstructa altera parte in continente terra, auctam esse hanc urbem accolis Ibericis [2]), qui quamquam cum Graecis uno usi περιβόλῳ, muro tamen interjecto ab iis sejuncti fuerint, ita ut δίπολιν urbem Strabo vocaret. Quae quidem ne barbarorum irruptionibus vexaretur, tanta cum vigilantia urbem tuebantur, ut nocte quidem pars tertia civium in muris excubaret, porta autem, qua in terram exitus patebat (neque plures nisi hanc unam in ea parte oppidum habebat), semper ab aliquo ex magistratibus custodiretur [3]). Si-

---

1) Liv. XXVIII, 42. XXI, 60. XXXIV, 8. Strab. III. p. 159 — 160. Eckhel D. N. Vol. I. p. 47. Uberius illustravit Emporias caeterarumque Massiliae in Hispania coloniarum historiam Petr. de Marca in libro: Marca Hispanica (Paris. 1688) p. 171 — 177 f. p. 179. Locos veterum de Emporiis vid. ap. Tzschuck. ad Mel. Vol. VI. p. 522. Oppidi nomen tum plurale est, tum singulare (Emporium), Emporiae tamen frequentior forma. Drakenb. ad Liv. XXI, 60. Tzschucke ad Mel. II, 6, 5 not. exeg. p. 522. not. crit. p. 423. Marc. Hisp. p. 172.

2) Strab. III. p. 170, A.

3) Liv. XXXIV, 8.

milis in mercatu cum Hispanis exercendo cautio adhiberi solebat [1]). Barbari in altera urbis parte quamquam initio quidem seorsim rempublicam suam administrabant (*ἰδίᾳ πολιτευόμενοι*), tempore tamen procedente cum Graecis in unam coaluerunt [2]). Julius Caesar quum bellum contra Pompeji filios in Hispania profligasset, colonos Romanos Emporitanis adjecit. Denique id quod etiam e nummis intelligitur, omnes Emporitani civitatem Romanam assecuti sunt, quam habuerunt certe Livii ac Strabonis aetate. Caeterum Emporiae jam bello Punico secundo cum Romanis conjunctae fuerunt [3]).

Emporitani pariter ac Massilienses Dianam Ephesiam [4]) venerabantur, cujus quidem imago propterea etiam in numis saepe occurrit [5]). In aliis est Apollo, Pegasus etc. Pleraeque imagines, quibus nummi, quorum Graeca est epigraphe [6]), sunt insigniti, ad quandam Siculorum similitudinem accedunt, quos ut ita procuderent, Eckhelius eo commotos esse Emporitanos judicavit, ut commercium cum Siculis adjuvarent. Certo quidem de his rebus explorari nihil potest; fieri hoc si posset, conferendus esset inprimis valor ac pondus numorum, de quo tamen nonnisi in magna numorum eorumque integrorum copia aliquid investigari potest.

---

1) Liv. l. l.

2) Strab. III. p. 160: *τῷ χρόνῳ δ' εἰς ταὐτὸ πολίτευμα συνῆλθον μικτόν τι, ἔκ τε βαρβάρων καὶ Ἑλληνικῶν νομίμων, ὅπερ καὶ ἐπ' ἄλλων πολλῶν συνέβη.*

3) Liv. XXII, 60. XXVIII, 42. 4) Strab. III. p. 160.

5) Eckhel D. N. Vol I. p. 47.

6) Eckhel l. l. Numi enim Emporitani tum Graecas, tum Ibericas easque ignotas, tum Latinas inscriptiones habent.

De reipublicae forma apud Emporitanos nihil constat. Eckhelius quidem magistratuum nomina numorum punctis quibusdam designari putavit, sed vel si vere statuisset, nihil exinde proficeretur.

Rhoda prope Tichis fluvii ostium, inter Emporias ac Pyrenaeum montem, Emporitanorum a Strabone vocatur colonia, qui tamen et ipsos Rhodios conditores ejus nuncupavit 1). Haec discrepantia facile submoveri potest, si Rhodios, qui quum Phocaeenses primum in occidentem contenderent, et ipsi huc navigasse dicuntur, primos conditores statuamus, post quos deinde oppidulum Emporitani in potestatem suam redegerunt. Quum alia esset Massiliensium in ostio Rhodani colonia, Rhodanusia vulgo nominata, alterum oppidum pro altero passim velut a Plinio acceptum est. Numi caput muliebre continent, spicis coronatum, qui quidem non est, ut cum Eckhelio ad Rhodanusiam traducantur.

Ἀλωνίς 2) a Stephano *νῆσος* vocatur *καὶ πόλις Μασσαλίας*. Quem locum tenuerit, non consentiunt viri docti. Vossius quidem in animadversionibus ad Melam a sale nomen ductum esse putavit, unde in peninsula ad os Taderis fluminis, quod vul-

---

1) Strab. III. p. 141. XIV. p. 967. Utroque tamen in loco oppidum non Rhoda vocatur, sed altero Rhodope, altero Rhodus, quas lectiones depravatas recte emendavit Casaubonus. Apud Ptolemaeum Ῥοδήπολις e Casaubono ac Petr. de Marca scribendum est in duas voces sejunctum (Ῥόδη πόλις). Tzschuck. ad Mel. II, 6, 5 not. ex. p. 521. Ukert Geogr. Tom. II.

2) Ptolem. II, 6 Ἀλωναί. Mel. II, 6, 6: „Sequens Illicitanus (sc. sinus) Alonen habet et Lucentiam et unde ei nomen est, Ilicen."

go Seguram vocant [1]), (h. Guardamar) situm fuisse arbitrabatur. Caussa autem, qua Vossius oppidi eum locum statuendum esse judicavit, judice quidem Ukerto inanis est, tum quia alia omnia rejicere eam videantur, tum quod totum hoc littus sale abundet. Quam ipse regionem significari putaverit, satius est ex ipso ejus libro (Geogr. II. p. 403) cognoscere.

Inter Sucronem fluvium et Carthaginem novam auctore Strabone [2]) tria fuerunt Massiliensium oppida, quorum celeberrimum *Ἡμεροσκοπεῖον* fuisse traditur. Habuit autem in promontorio aliquo *τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν σφόδρα τιμώμενον, ᾧ ἐχρήσατο ὁρμητηρίῳ κατὰ θάλασσαν Σερτώριος* [3]). *ἐρυμνὸν γάρ ἐστι καὶ ληστρικὸν, κατοπτὸν δὲ ἐκ πολλοῦ τοῖς προςπλέουσι. καλεῖται δὲ Διάνιον οἷον Ἀρτεμίσιον, ἔχον σιδηρεῖα εὐφυῆ πλησίον· καὶ νησίδια, Πλανησίαν* [4]) *καὶ Πλουμβαρίαν, καὶ λιμνοθάλατταν ὑπερκειμένην, ἔχουσαν ἐκ κύκλῳ σταδίων τετρακοσίων.* Stephani B. quidem testimonio Artemidorus Hemeroscopium Celtiberorum oppidum vocavit [5]). Ex ipsis Strabonis verbis accurate perspici non potest, num Hemeroscopium ac Dianium eodem oppido contineantur, an singularia duo oppida fuerint. Tertium ex oppidis illis haud novimus, neque Strabo ejus mentionem fecit.

Quae in Gallia quidem a Massilia versus occidentem locum habuere coloniae, earum partim vix nomina ad notitiam nostram pervenerunt. Praeter ea, quae a Strabone, Mela ac Plinio sunt allata, nomina illa maximam partem repeti debent e Stephano

---

1) ubi magna esset salis ubertas. Voss. ad Mel. II, 6, 6. Petr. de Marca II, 5, 3. II, 6, 2. Tzschucke ad Mel. not. ex. p. 539.

2) III. p. 159. 3) Cic. Verr. I, 34. V, 56.

4) cf. Casaub. ad Strab. l. l.

5) Steph. B. s. v. Plin. III, 12, 4. Marc. Hisp. p. 116.

Byz., qui tamen et ipse in afferendis iis acquievit. Eo pertinent: Abarnus [1]), Troezene [2]), Cyrene [3]), Heraclea [4]), de quibus nihil traditur, nisi quod coloniae Massiliensium fuerint. Celebratius nomen tenent Agatha et Rhodanusia, quarum prior illa [5]) ad Araurim condita erat, et si Strabonem (p. 180, A.) sequimur, ut barbarorum incursiones eo propulsarentur.

Rhodanusia [6]) a Plinio Rhoda vocatur, sed vitiose ut videtur, quum Rhodam Ibericam intellexerit. Oppidum conditum esse a Rhodiis, sed occupatum deinde a Massiliensibus, inprimis e numis intelligitur, de quibus v. Eckhel. D. N. Vol. I.

Cabellio [7]) in terra quidem Cavarum Artemidori (ap. Steph. B. v. *Καβελλιών*) [8]) auctoritate una cum Avenione, quae eadem urbs fuit Cavarum, Massiliensium colonia fuit. A Plinio [9]) in oppidis Latii jure donatis numeratur.

A Massilia usque ad Italiae fines pleraque sunt eaque majora et opulentiora Massiliensium oppida. Citharistam [10]), quae et promontorium et portus dicitur, a Massilia versus orientem

---

1) Steph B. 2) Steph. B. Eustath. ad Il. II, 566.

3) Steph. B. 4) Plin. IV, 3.

5) Steph. B. *πόλις Λιγύων ἢ Κελτῶν. Σκύμνος δὲ Φωκαέων αὐτήν φησιν ἐν τῇ Εὐρώπῃ. Τιμοσθένης δὲ* (Voss. hist. Gr. V, 17) *ἐν τῷ σταδιασμῷ ἀγαθὴν τέχην αὐτήν φησιν.* Scymn. 207. Plin. III, 4. Strab. IV. p. 180. 182. Tzschuck. ad Mel. II, 5, 6. p. 487.

6) Scymn. 207. Steph. B. Plin. III, 4.

7) Papon hist. de Prov. Tom. I. p. 72. 74. Strabo eam urbem *πόλιν Καουάρων* vocat.

8) Ptolemaeus: *Καβελλιὼν κολώνια.* cf. Eckhel. D. N. Vol. I.

9) Plinius III, 4.

10) Plin. III, 5. Ptolem. II, 10. Papon Tom. I. p. 20.

excipit Taurentum sive Tauroentum. Hoc oppidum ad ea loca refertur, quae ab ipsis Phocaeensibus ac post proelium quidem Carthaginiensibus atque Tyrrhenis Ol. XLV. commissum condita dicuntur. Solent etiam a signo, quod unum e navigiis Phocaeensium gestaverit, nomen *Ταυρόεις* derivare. A Caesare castellum Massiliensium nuncupatur. In mari adhuc pristinae urbis ruinae conspiciuntur [1]). Constat enim littus Galliae meridionale maris fluctibus modo augeri, modo imminui.

De Olbia, quae inter Tauroentum et Antipolin locum tenuisse fertur, nihil constat, nisi Massilienses eam conditores habuisse. De situ varie dubitatum est a viris doctis, quorum alii, quod jam monitum est, inter Taurentum et Antipolin, alii [2]) inter Cap Sicier et fluvium d'Argens jacuisse hoc oppidum crediderunt.

Athenopoli, quae post Olbiam in ora Galliae proximum locum habuisse videtur, sunt, qui ipsam Massiliam intelligi putent. Quo in loco fuerit hoc oppidum, non consentiunt, qui de eo dixerunt [3]).

Praeterea duae sunt in eodem littore Massiliensium coloniae Antipolis ac Nicaea, sejunctae eae Varo flumine, cujus in parte orientali Nicaea condita fuit, in altera occidentali Antipolis. De qua tamen [4]) ut colonia Massiliensium prope nihil constat, ali-

---

1) Caes. B. C. II, 4. — Strab. IV. p. 180. 184. Ptolem. II, 10. Steph. B. s. v. Ταυρόεις. Bouche chorogr. de Prov. p. 159. Popon p. 20. Marin l'ancienne ville de Tauroentium. Avignon 1782.

2) Papon p. 88. Strab. IV. p. 180. 184. Scymn. 215. Ptolem. II, 10.

3) Plin. III, 5. Tzschuck. ad Mel. Vol. VI. p. 468.

4) Strab. IV. p. 180. 184. Ptolem. II, 10. Papon p. 12. Tzschuck. ad Mel. Vol. I. p. 466.

quanto plura de hoc oppido imperio Romanorum subjecto. Piscatu insigne fuisse videtur, id quod certe Martialis patet testimonio, quo thynnis mare propinquum abundasse colligitur. Plinii aetate Latii jure oppidum donatum erat; a Tacito (Hist. II, 15) Narbonensis Galliae municipium dicitur. Theatrum ibi fuisse exstructum, Latina inscriptione apparet. Varia operarum collegia in inscriptionibus commemorantur [1]).

Nicaea nomen accepisse fertur a victoria, de Liguribus a Massiliensibus reportata, cui quidem oppidum originem suam debuerit [2]). Captum tamen una cum Antipoli ab Oxybiis et Deceatibus.

Stadiorum fere CC intervallo ab Antipoli (in ipsa Italia) portus Monoeci distabat, de quo haec a Strabone [3]) referuntur: *ὁ δὲ τοῦ Μονοίκου λιμένος ὅρμος ἐστὶν, οὐ μεγάλαις, οὐδὲ πολλαῖς ναυσὶν, ἔχων ἱερὸν Ἡρακλέους Μονοίκου καλουμένου· ἔοικε δὲ ἀπὸ τοῦ ὀνόματος καὶ μέχρι δεῦρο διατείνειν ὁ Μασσαλιωτικὸς παράπλους.*

Haec fere habui, quae de Massiliensium coloniis exponerem. Ad quarum quidem descriptionem quum nonnisi singula aliqua eaque omni fere nexu destituta suppeterent, fortasse jejunior visa est explicatio mea; quod quum metuerem, pleraque omisi, quae magis doctrinae quandam ostentationem habere, quam ad rem ipsam conferre viderentur. Quae si quis desideraverit, facile ea docebitur, quum aut Valesii Notitiam Galliae, aut Narbonensis Galliae historias, aut denique ipsas Tzschuckii ad Melam animadversiones adierit.

---

1) Vid. supra p. 55.

2) Strab. IV. p. 184. Plin. III, 7. Tzschuck. ad Mel. II, 5, 3. Vol. 6. p. 465. Papon p. 8. 10. Spon Miscell. p. 193.

3) IV. p. 202.

CORRIGENDA.

P. 14 v. 28 praeplacuit scr. placuit. P. 27 v. 14 propediar scr. praepediar. P. 30 v. 5 eumque scr. eamque. P. 34 v. 3. Salyis scr. Salyos. P. 40 v. 26 p. Aristoteles dele. P. 51 v. 9 dens scr. deus. p. 55 v. 8 Arabonis scr. Strabonis. P. 65 v. 10 errotes scr. errores.



